



Studia Latinitatis Friburgensia

Florilegium *Variorum Auctorum compositum ad Iter Romanum*

quod susceperunt discipuli litterarum Latinarum primi anni

mense Iunio, anno MMXIX



»QVONIAM HIS VOLVMINIBVS

AD TE PROPECTA EST

VOX MEA«

Conspectus operum, quae in hoc libello continentur:

Lucius Annaeus Seneca– <i>De Otio</i> (§ 3-6)	2
<i>Colloquium familiare inter absentes</i>	4
Franciscus Petrarca (1304-1374) – <i>De Vita Solitaria</i>	7
Franciscus Petrarca (1304-1374) – <i>Epistula Prima ad Ciceronem</i> (1345 - <i>Fam.</i> 24, 3).....	8
Franciscus Petrarca (1304-1374) – <i>Epistula Secunda ad Ciceronem</i> (1345 - <i>Fam.</i> 24, 4)	9
Leonardi Bruni (1370-1444) <i>Dialogus ad Petrum Paulum Histrum</i> (c. 1401).....	11
Laurentius Valla (1407-1457) <i>Elegantiae Linguae Latinae – Praefatio</i>	12
Poggius Bracciolinus (1380-1459) – <i>Epistula ad Guarinum Veronensem</i> (1370-1460).....	15
Leonardi Bruni (1370-1444) <i>Commentaria rerum suo tempore gestarum</i> (1440/1).....	17
Leonardi Bruni (1370-1444) <i>Praefatio in Phaedonem Platonis ad Antonium Luscum</i> (1424)	17
Leonardi Bruni Aretini (1370-1444) - <i>Cicero Novus</i> (1415).....	18
Marcus Tullius Cicero (106-43 a. Chr.) - <i>Florilegium ex operibus philosophicis</i>	19
Leonardi Bruni (1370-1444) <i>Epistula ad Nicolaum Strozzi</i> (1413-34)	22
Leonardi Bruni (1370-1444) – <i>De Studiis Litterarum</i>	22
Leonardi Bruni (1370-1444) <i>Isagogicon Moralis Disciplinae</i> (1421-24).....	23
Leonardi Bruni <i>Epistula ad Nicolaum Niccoli</i> (1407)	24
Marcus Tullius Cicero (106-43 a. Chr.) – <i>De Inventione, Praefatio</i>	24
Marcus Tullius Cicero – <i>De Oratore</i> 3, 121-126	25
Marcus Tullius Cicero – <i>De Oratore</i> 3, 55-76.....	26
Marcus Fabius Quintilianus – <i>Institutiones Oratoriae, Praefatio</i> (§9-20)	27
Lucius Annaeus Seneca (4 – 65 p. Chr.) – <i>Epistulae Morales ad Lucilium</i>	29
C. Sallustius Crispus (86- 35 a. Chr.) – <i>Florilegium</i>	32
Titus Livius (59 a. Chr. – 17 p. Chr.) - <i>Ab Urbe Condita: Praefatio</i>	34
Quintus Horatius Flaccus (65-9 a. Chr.)– <i>Carmen IV, 15</i>	36
C. Plinius Secundus (61/2 - 112/3 p. Chr. n.) – <i>Florilegium Epistularum</i>	37

Lucius Annaeus Seneca– De Otio (§ 3-6)

Hoc nempe ab homine exigitur, ut prosit hominibus; si fieri potest, multis; si minus, paucis; si minus, proximis; si minus, sibi. Nam, cum se utilem ceteris efficit, commune agit negotium. Quomodo, qui se deteriore facit, non sibi tantummodo nocet, sed etiam omnibus eis, quibus melior factus prodesse potuisset, sic, quisquis bene de se meretur, hoc ipso aliis prodest, quod illis profuturum parat.

Duas res publicas animo complectamur: alteram magnam et vere publicam, qua di atque homines continentur. In qua non ad hunc angulum respicimus aut ad illum, sed terminos civitatis nostrae cum sole metimur. Alteram, cui nos adscripsit condicio nascendi: Haec aut Atheniensium erit aut Carthaginiensium aut alterius alicuius urbis, quae non ad omnīs pertineat homines, sed ad certos.

Quidam eodem tempore utrique rei publicae dant operam, maiori minorique, quidam tantum minori, quidam tantum maiori. Huic maiori rei publicae et in otio deservire possumus - immo vero: nescio an in otio melius - ut quaeramus, quid sit virtus, una pluresne sint, natura an ars bonos viros faciat; unum sit hoc, quod maria terrasque et mari ac terris inserta complectitur, an multa eiusmodi corpora deus sparserit; continua sit omnis et plena materia, ex qua cuncta gignuntur, an diducta et solidis inane permixtum; quae sit dei sedes, opus suum spectet an tractet, utrumne extrinsecus illi circumfusus sit an toti inditus; immortalis sit mundus an inter caduca et ad tempus nata numerandus. Haec qui contemplatur, quid deo praestat? ne tanta eius opera sine teste sint.

Solemus dicere summum bonum esse secundum naturam vivere. Natura nos ad utrumque genuit: et contemplationi rerum et actioni. Nunc id probemus, quod prius diximus. Quid porro? Hoc non erit probatum, si se unusquisque consuluerit quantam cupidinem habeat ignota noscendi; quam ad omnīs fabulas excitetur? Navigant quidam et labores peregrinationis longissimae unā mercede perpetiuntur cognoscendi aliquid abditum remotumque. Haec res ad spectacula populos contrahit, haec cogit praeclusa rimari, secretiora exquirere, antiquitates evoluere, mores barbararum audire gentium. Curiosum nobis natura ingenium dedit, et artis sibi ac pulchritudinis suae conscia spectatores nos tantis rerum spectaculis genuit, perditura fructum sui, si tam magna, tam clara, tam subtiliter ducta, tam nitida et non uno genere formosa solitudini ostenderet. Ut scias illam spectari voluisse, non tantum aspici, vide quem nobis locum dederit: In mediā nos sui parte constituit, et circumspectum omnium nobis dedit. Nec erexit tantummodo hominem, sed etiam habilem contemplationis factura, ut ab ortu sidera in occasum labentia prosequi posset et vultum suum circumferre cum toto, sublime fecit illi caput et collo flexili inposuit. Deinde sena per diem, sena per noctem signa producens, nullam non partem sui explicuit, ut per haec, quae optulerat oculis, eius cupiditatem faceret etiam ceterorum. Nec enim omnia nec tanta visimus, quanta sunt, sed acies nostra aperit sibi investigandi viam et fundamenta vero iacit, ut inquisitio transeat ex apertis in obscura et aliquid ipso mundo

inveniat antiquius: unde ista sidera exierint; quis fuerit universi status, antequam singula in partes discederent; quae ratio mersa et confusa diduxerit; quis loca rebus adsignaverit, suapte naturā gravia descenderint, evolaverint levia, an praeter nisum pondusque corporum altior aliqua vis legem singulis dixerit; an illud verum sit, quo maxime probatur homines divini esse spiritūs, partem ac veluti scintillas quasdam astrorum in terram desiluisse atque alieno loco haesisse.

Cogitatio nostra caeli munimenta perrumpit, nec contenta est id, quod ostenditur, scire: 'Illud' inquit 'scrutor, quod ultra mundum iacet [...]. Ad haec quaerenda natus, aestima quam non multum acceperit temporis, etiam si illud totum sibi vindicat. Qui licet nihil facilitate eripi, nihil neglegentiā patiatur excidere, licet horas suas avarissime servet et usque in ultimum aetatis humanae terminum procedat nec quicquam illi ex eo, quod natura constituit, fortuna concutiat: tamen homo ad immortalium cognitionem nimis mortalis est. Ergo secundum naturam vivo, si totum me illi dedi, si illius admirator cultorque sum. Natura autem utrumque facere me voluit: et agere et contemplationi vacare – utrumque facio, quoniam ne contemplatio quidem sine actione est.

'Sed refert' inquis 'an ad illam voluptatis causā accesseris, nihil aliud ex illā petens quam adsiduam contemplationem sine exitu; est enim dulcis et habet inlecebras suas.' Adversus hoc tibi respondeo: Aequè refert, quo animo civilem agas vitam; an semper inquietus sis, nec tibi umquam sumas ullum tempus, quo ab humanis ad divina respicias. Quomodo res adpetere sine ullo virtutum amore et sine cultu ingeni ac nudas edere operas minime probabile est (misceri enim ista inter se et conseri debent), sic imperfectum ac languidum bonum est in otium sine actu proiecta virtus, numquam id, quod didicit, ostendens. Quis negat illam debere profectūs suos in opere temptare, nec tantum, quid faciendum sit, cogitare, sed etiam aliquando manum exercere et ea, quae meditata est, ad verum perducere? Quodsi per ipsum sapientem non est mora, si non actor deest, sed agenda desunt, ecquid illi secum esse permittes? Quo animo ad otium sapiens secedit? ut sciat se tum quoque ea acturum, per quae posteris prosit. Nos certe sumus, qui dicimus et Zenonem et Chrysippum maiora egisse, quam si duxissent exercitūs, gessissent honores, leges tulissent; quas non uni civitati, sed toti humano generi tulerunt. Quid est ergo, quare tale otium non conveniat viro bono, per quod futura saecula ordinet, nec apud paucos contionetur, sed apud omnis omnium gentium homines, quique sunt quique erunt?

Colloquium familiare inter absentes

[1] Cicero, *De Officiis* 3, 121:

Habes a patre munus, Marce fili, mea quidem sententia magnum, sed perinde erit, ut acceperis. [...] sed, ut, si ipse venissem Athenas, [...] aliquando me quoque **audires**, sic, quoniam **his voluminibus ad te profecta vox est mea**, tribues iis temporis, quantum poteris, poteris autem quantum voles. [...] praesens tecum propediem, ut spero, et **dum aberis, absens loquar**.

[2] Seneca, *Epistula* 56, 8-11:

Huc usque cogitationes tuas mitte. **Conversari cum amicis absentibus** licet, et quidem quotiens velis, quamdiu velis. [...] Amicus animo possidendus est; hic autem numquam abest; quemcumque vult cotidie videt. Itaque mecum stude, mecum cena, mecum ambula: in angusto vivebamus, si quicquam esset cogitationibus clausum.

[3] Seneca, *Quaestiones Naturales* 4, 20:

Fugiendum ergo et in se recedendum est; immo, etiam a se recedendum. Hoc tibi, etsi dividimur mari, praestare temptabo, ut subinde te iniectā manu ad meliora perducam et, ne sollicitudinem sentias, **hinc tecum miscebo sermones. Erimus una, qua parte optimi sumus**. Dabimus invicem consilia non ex vultu audientis pendentia. [...] Itaque, ut totum te inde abducam [...] et in diversum cogitationes tuas abstraham. Quaeram igitur tecum [...].

[4] Seneca, *Epistula* 40,1:

Numquam epistulam tuam accipio, ut non protinus una simus.

[5] Cicero, *De amicitia* 23:

Quocirca et **absentes adsunt**, [...] et, quod difficilius dictu est, **mortui vivunt**.

[6] Petrarca, *De remediis utriusque fortunae* 1, Praefatio.:

qui multis ante nos saeculis in terram versi [...] **nobiscum vivunt, cohabitant, colloquuntur**.

[7] Petrarca, *De Vita Solitaria* 1, 9, 4:

Quod si amicitiae ignaris collocutor unus tantum solacii afferre creditur, quid veris amicitiae cultoribus fidelis **amici conversatio** allatura sit, **in quo sese videant, ex quo verum audient, cum quo**, ut Cicero idem ait, **sic omnia loqui audeant ut secum?**

[8] Nicolaus Macchiavelli (1469-1527). *Epistula ad Franciscum Vettori (10.12.1513)*:

Venuta la sera, mi ritorno in casa, ed entro nel mio scrittoio; et in su l'uscio mi spoglio quella veste cotidiana, piena di fango et di loto, et mi metto panni reali et curiali; et rivestito condecientemente **entro nelle antique corti delli antiqui uomini**, dove, da loro ricevuto amorevolmente, **mi pasco di quel cibo che solum è mio et che io nacqui per lui; dove io non mi vergogno parlare con loro, et domandarli** della ragione delle loro actioni; et quelli per loro humanità **mi rispondono**; et non sento per quattro ore di tempo alcuna noia, sdimenticho ogni affanno, non temo la povertà, non mi sbigottisce la morte: **tutto mi transferisco in loro.**

[9] Francisco de Quevedo (1580-1645): *Desde la Torre*

Retirado en la paz de estos desiertos,
 Con pocos, pero doctos libros juntos,
Vivo en conversación con los difuntos,
Y escucho con mis ojos a los muertos.

Si no siempre entendidos, siempre abiertos,
O enmiendan, o fecundan mis asuntos;
 Y en músicos callados contrapuntos
Al sueño de la vida hablan despiertos.

Las Grandes Almas que la Muerte **ausenta,**
 De injurias de los años vengadora,
 Libra, ¡oh gran Don Josef!, docta la Imprenta.

En fuga irrevocable huye la hora;
 Pero aquélla el mejor cálculo cuenta,
Que en la lección y estudios nos mejora.

[10] Franciscus Petrarca (1304-1374): *Epistula Metrica (1. 7)*:

181 nostra voluptatemque aliam, **comitesque latentes,**
 182 quos mihi **de cunctis simul omnia saecula terris**
 183 transmittunt lingua, ingenio, belloque togaque
 184 illustres; nec difficiles, quibus angulus unus
 185 aedibus in modicis satis est; qui nulla recusent
 186 imperia, assidueque adsint et taedia nunquam
 187 ulla ferant, abeant iussi redeantque vocati.
 188 Nunc hos, nunc illos **percontor**, multa vicissim

189 **respondent** et multa **canunt** et multa **loquuntur**.
 190 Naturae secreta alii, **pars optima vitae**
 191 **consilia et mortis**: pars inclita gesta priorum:
 192 pars sua, praeteritos renovant sermonibus actus.
 193 Sunt qui festivis pellant fastidia verbis
 194 quique iocis risum revehant : sunt omnia ferre
 195 qui **doceant, optare nihil, cognoscere sese**. [...]
 198 Deiectum adversis **relevant**, tumidumque secundis
 199 **compescunt, rerumque iubent advertere finem,**
 200 **veloces meminisse dies vitamque fugacem**. [...]
 211 Sobria turba coit proprio contenta, suasque
 212 quae mecum partitur opes, fessumve cubili
 213 solatur roseo et mensa dignatur egenum
 214 atque cibus **reficit** sacris et nectare dulci.
 215 Nec solum **comes** esse domi, sed prompta per omnes
 216 ire simul saltus ac prata [...]
 218 Saepe dies totos agimus per devia soli
 219 inque manu calamus dextra est, at carta sinistram
 220 occupat, et variae complent praecordia curae.

[11] Giovanni Battista Pighi (1898-1978):

L'uso del latino come lingua scritta, benché non s'identifichi del tutto con la causa [...] della cultura grecolatina e mediterranea [...], è però l'indizio più sicuro d'una vitale comunicazione tra il mondo antico e il moderno. Quando quell'uso sarà cessato, sarà praticamente cessato anche l'apporto continuo d'idee che ci viene dall'antico. Può darsi che la nostra civiltà moderna non ne abbia più bisogno [...]. Ma non oserei dire che questa sua nuova indipendenza contribuirà a farla migliore.

Franciscus Petrarca (1304-1374) – De Vita Solitaria


Volo solitudinem non solam, otium non iners nec inutile, sed quod e solitudine prosit multis. Qui enim otiosi prorsus et languidi et segnes et soli sunt, eos maestos semper miserosque consentio, quibus nec honesti actūs exercitium nec nobilium studiorum illustriumque nominum possit esse commercium. Haec igitur summa est: Admitto ad otium non haec vento mobilia sed mansura negotia, quorum finis est non labor et quaestus et dedecus, sed delectatio et virtus et gloria. Corpori non animo ferias indico. Veto in otio ingenium quiescere, nisi ut assurgat et intermissione fecundius fiat. Solet enim ut arvis, sic ingeniis intermissio prodesse. Rursus et generosas curas in solitudinem non tantum recipio sed arcesso, quarum



comitatu nullus omnino facilius, nullus amoenior fingi potest, et sine quo misera vita est aequae vel in urbibus vel in silvis. Libros praeterea diversi generis et simul per quos aut de quibus scripti sunt, comites gratos et assiduos, et promptos vel in publicum prodire vel ad arculam redire, cum iusseris, et confabulari et iocari et hortari et solari et monere, et arguere, et consulere, et docere secreta rerum, monimenta gestorum, vitae regulam mortisque contemptum, modestiam in prosperis, fortitudinem in adversis, aequabilitatem in actionibus atque constantiam: comites doctos, laetos, utiles et facundos, sine taedio, sine impendio, sine querelâ, sine murmure, sine invidiâ, sine dolo; interque tot commoda, nullo cibo interim, nullo potu et veste, inopi et augustâ domūs parte contentos, cum ipsi potius hospitibus suis inexistimabiles animi divitias, amplas domūs, fulgidas vestes et iucunda convivia ac suavissimos cibos parent. Admitto et in solitudinem amicos, dulce genus, de quo multa praemisimus, sine quibus trucam ac debilitatam vitam et quasi luminibus captam puto. Quotiensque sub noctem, ut assolet, fores nostras amica manus impulit, ac mihi seu longum post tempus venerit hospes, sive operum vacuo gratus conviva per imbrem (quos mihi versiculos e profundâ grati convictūs experientiâ et ex ipso naturae gremio videtur Flaccus elicuisse); quotiens ergo tale aliquid et mihi accidit – hospes, sed post longum tempus, gratus conviva, sed vacuo operum, ne me forte vel frequentibus conviviis vel impedimentis operum delectari credas – tunc ego non alium invenisse, sed me ipsum quodammodo geminatum censeo. Non penitus duo sunt, quorum unus est animus. Novit amor e duobus unum facere. Alioquin impossibilem rem iuberet Pythagoras, ut in amicitia scilicet unus fiat ex pluribus. Quod cum ita sit, sequitur, ut quisquis unius, idem et duorum capax amicorum locus sit. Nulla igitur solitudo tam profunda, nulla tam parva domus, nullum tam obstrusum limen, ut non pateat amico.

Franciscus Petrarca (1304-1374) – Epistula Prima ad Ciceronem (1345 - Fam. 24, 3)

Epistulas tuas diu multumque perquisitas, atque ubi minime rebar inventas, avidissime perlegi: Audivi multa te dicentem, multa deplorantem, multa variantem, Marce Tulli; et qui iam pridem, qualis praeceptor aliis fuisses, noveram, nunc tandem, quis tu tibi esses, agnovi. Unum hoc vicissim a verā caritate profectum non iam consilium sed lamentum audi, ubicumque es, quod unus posteriorum tui nominis amantissimus non sine lacrimis fundit. O inquiete semper et anxie, vel, ut verba tua recognoscas, o praeceps et calamitose senex: Quid tibi tot contentionibus et prorsum nihil profuturis simultatibus voluisti? Ubi et aetati et professioni tuae conveniens otium reliquisti? Quis te falsus gloriae splendor senem adolescentium bellis implicuit, et per omnes iactatum casūs ad indignam philosopho mortem rapuit? Heu! et fraterni consilii immemor, et tuorum tot salubrium praeceptorum, ceu nocturnus viator lumen in tenebris gestans, ostendisti sequuturis callem, in quo ipse miserabiliter lapsus es. Omitto Dionysium, omitto fratrem tuum ac nepotem, omitto, si placet, ipsum etiam Dolabellam, quos nunc laudibus in caelum effers, nunc repentinis maledictis laceras. Fuerint haec tolerabilia fortassis. Iulium quoque Caesarem praetervehor, cuius spectata clementia ipsum lacessentibus portus erat. Magnum praeterea Pompeium sileo, cum quo iure quodam familiaritatis quilibet posse videbare. Sed quis te furor in Antonium impegit? Amor, credo, rei publicae, quam funditus iam corruisse fatebaris. Quod si pura fides, si libertas te trahebat (quod quidem de tanto viro licet opinari), qui tibi tam familiare cum Augusto? Quid enim Bruto tuo responsurus es? Si quidem (inquit) Octavius tibi placet non dominum fugisse sed amiciorem dominum quaesisse videberis.



Hoc restabat infelix, et hoc erat extremum, Cicero, ut huic ipsi tam laudato malediceres, quod tibi non dicam male faceret, sed male facientibus non obstaret. Doleo vicem tuam, amice, et errorum pudet ac miseret tantorum: Iamque cum eodem Bruto iis artibus nihil tribuo, quibus te instructissimum fuisse scio. Nimirum quid iuvat alios docere, quid ornatissimis verbis semper de virtutibus loqui prodest, si te interim ipse non audias? Ah! quanto satius fuerat, philosopho praesertim, in tranquillo rure senuisse, de perpetuā illā, ut ipse quodam loco ais, non de hac iam exiguā vitā cogitantem, nullos habuisse fasces, nullis triumphis inhiasse, nullos inflammasse tibi animum Catilinas. Sed de hoc quidem frustra.

Aeternum vale, mi Cicero. Apud superos, ad dextram Athesis ripam, in civitate Transpadanae Italiae Verona. XVI Kalendas Quintiles, anno ab ortu Dei illius, quem tu non noveras MCCCXLV.

Franciscus Petrarca (1304-1374) – Epistula Secunda ad Ciceronem (1345 - Fam. 24, 4)

Si te superior offendit epistola (verum enim, ut ipse soles dicere, quod ait familiaris tuus in Andria: "Obsequium amicos, veritas odium parit"), accipe quod offensum animum ex parte mulceat, nec semper odiosa sit veritas; quoniam veris reprehensionibus irascimur, veris laudibus delectamur. Tu quidem, Cicero, quod pace tuā dixerim, ut homo vixisti, ut orator dixisti, ut philosophus scripsisti. Vitam ego tuam carpsi, non ingenium aut linguam, ut qui illud mirer, hanc stupeam. Neque tamen in vitā tuā quidquam praeter constantiam requiro, et professioni philosophicae debitum quietis studium, et a civilibus bellis fugam, extinctā libertate ac sepultā iam et comploratā re publicā.

Vide ut aliter tecum ago ac tu cum Epicuro multis in locis, sed expressius in libro *De Finibus* agebas. Eius enim ubilibet vitam probas, rides ingenium. Ego nihil in te rideo, vitae tamen compator, ut dixi, ingenio gratulor eloquiove. O Romani eloquii summe parens, nec solus ego, sed omnes tibi gratias agimus, quicumque Latinae linguae floribus ornatur; tuis enim prata de fontibus irrigamus, tuo ductu directos, tuis suffragiis adiutos, tuo nos lumine illustratos ingenue confitemur: tuis denique, ut ita dicam, auspiciis ad hanc, quantulumcumque est, scribendi facultatem ac propositum pervenisse. Accessit et alter poeticae viae dux. Ita enim necessitas poscebat, ut esset, et quem solutis et quem frenatis gressibus praeuntem sequeremur, quem loquentem, quem canentem miraremur, quoniam cum bona venia amborum neuter ad utrumque satis erat, ille tuis aequoribus, tu illius impar angustiis.

Non ego primus hoc dicerem fortasse, quamvis plane sentirem; dixit hoc ante me, seu ab aliis scriptum dixit, magnus quidem vir Annaeus Seneca Cordubensis, cui te, ut idem ipse conqueritur, non aetas quidem sed bellorum civilium furor eripuit. Videre te potuit, sed non vidit, magnus tamen operum tuorum atque illius alterius laudator. Apud hunc ergo quisque, suis eloquentiae finibus circumscriptus, collegae suo cedere iubetur in reliquis. Verum expectatione te torqueo: Quisnam dux ille sit quaeris? Nosti hominem, si modo nominis meministi: Publius Virgilius Maro est, Mantuanus civis, de quo egregie vaticinatus es. Cum enim, ut scriptum legimus, iuvenile quoddam eius opusculum miratus, quaesivisses auctorem, eumque iuvenem iam senior vidisses, delectatus es, et de inexhausto eloquentiae tuae fonte, cum propriā quidem laude permixtum verum tamen praeclarumque ac magnificum illi testimonium reddidisti. Dixisti enim: »Magnae spes altera Romae.«

Quod dictum ex ore tuo auditum adeo sibi placuit inseditque memoriae, ut illud post annos viginti, te pridem rebus humanis exempto, divino operi suo eisdem penitus verbis insereret; quod opus si videre licuisset, metatus esses, de primo fiore tam certum te venturi fructūs praesagium concepisse. Nec non et Latinis gratulatus Musis, quod insolentibus Graiis vel reliquissent ambiguam, vel certam victoriam abstulissent; utriusque enim sententiae auctores sunt: Te, si ex libris animum novi, quem noscere mihi non aliter quam si tecum vixissem videor, ultimae assertorem futurum, utque in oratoriā dedisti, sic in

poeticā palmam Latio daturum, atque ut Aeneidi cederet Ilias iussurum fuisse non dubito, quod iam ab initio Virgiliani laboris Propertius asseverare non timuit. Ubi enim Pierii operis fundamenta contemplatus est, quid de illis sentiret, et quid speraret aperte pronunciavit his versibus: »Cedite Romani scriptores, cedite Graii. / Nescio quid maius nascitur Iliade.«

Haec de altero Latinae duce facundiae, magnaeque Romae spe alterā. Nunc ad te revertor. Quid de vitā, quid de ingenio tuo sentiam audisti. Expectas audire de libris tuis quaenam illos exceperit fortuna, quam seu vulgo seu doctioribus probentur. Extant equidem praeclara volumina, quae ne dicam perlegere, sed nec enumerare sufficimus. Fama rerum tuarum celeberrima atque ingens et sonorum nomen; perrari autem studiosi, seu temporum adversitas, seu ingeniorum hebetudo et segnities, seu quod magis arbitror, alio cogens animos cupiditas causa est. Itaque librorum aliqui (nescio an irreparabiliter) nobiscum qui nunc vivimus, nisi fallor, procul dubio periēre; magnus dolor meus, magnus saeculi nostri pudor, magna posteritatis iniuria. Neque enim satis infame visum est ingenia nostra negligere, ne quid inde fructuosum perciperet sequens aetas, nisi laboris etiam vestri fructum crudeli prorsus et intolerandā corrupissemus incuriā. Namque quod in tuis conqueror et in multis virorum illustrium libris accidit. Tuorum sane, quia de iis mihi nunc sermo erat, quorum insignior iactura est, haec sunt nomina: *Reipublicae*, *Rei Familiaris*, *Res Militaris*, *De Laude Philosophiae*, *De Consolatione*, *De Gloria*, quamvis de hoc ultimo magis mihi spes dubia, quam desperatio certa sit. Quin et superstitum librorum magnas partes <...>, ita ut, veluti ingenti praelio oblivione et ignavia superatis, duces nostros non extinctos modo sed truncos quoque vel perditos necesse sit lugere. Hoc enim et in aliis multis, sed in tuis maximo *Oratoris*, atque *Academicorum*, et *Legum* libris patimur, qui ita truncati foedatque evaserunt, ut proprie melius fuerit periire.

Reliquum est ut urbis Romae ac Romanae Reipublicae statum audire velis, quae patriae facies, quae civium concordia, ad quos rerum summa pervenerit, quibus manibus quantoque consilio frena tractentur imperii? Isterne et Ganges, Iberus, Nilus et Tanais limites nostri sint? An vero quisquam surrexerit imperium Oceano, famam qui terminet astris, aut super et Garamantas et Indos proferat imperium, ut amicus ille tuus Mantuanus ait. Haec et his similia cupidissime auditurum te auguror; id enim pietas tua suggerit, et amor erga patriam usque in tuam perniciem notissimus. Verum enim tacere melius fuerit. Crede enim mihi, Cicero, si quo in statu res nostrae sunt audieris, excident tibi lacrimae, quamlibet vel caeli vel erebi partem teneas. Aeternum vale. Apud superos, ad sinistram Rhodani ripam in Transalpina Gallia eodem anno, XIV Kalendas Ianuarii

Leonardi Bruni (1370-1444) *Dialogus ad Petrum Paulum Histrum* (c. 1401)

[Nicolaus Niccoli:] »[...] Ea tempestate nati sumus, in qua tanta disciplinarum omnium perturbatio, tanta librorum iactura facta est [...] Ego quidem, Coluci, in hac faece temporum atque in hac tantā librorum desideratione, quam quis facultatem disputandi assequi possit, non video. Nam quae bona ars, quae doctrina reperiri potest in hoc tempore, quae non aut loco mota sit aut omnino profligata? Pone tibi ante oculos unamquamque earum quam velis, et quid nunc sit quidve olim fuerit, considera: iam intelliges, eo deductas esse omnes, ut penitus desperandum sit. [...]

Qui libri utinam nunc exstarent, nec maiorum nostrorum tanta fuisset ignavia! [...] Sed cum illorum librorum magna pars interierit, hi vero, qui supersunt, adeo mendosi sint, ut paulo ab interitu distent, quemadmodum nobis philosophiam hoc tempore discendam putas? At sunt permulti eius scientiae magistri, qui se illam docturos esse pollicentur! O praeclaros nostri temporis philosophos, siquidem ea docent, quae ipsi nesciunt; quos ego nequeo satis mirari, quo pacto philosophiam didicerint, cum litteras ignorent. [...] Non puto illos ne minima quidem in re, quid Aristoteles senserit, recte tenere [...], praesertim cum hi libri, quos Aristotelis esse dicunt, tam magnam transformationem passi sint, ut, si quis eos ad Aristotelem ipsum deferat, non magis esse suos esse cognoscat quam Actaeonem illum, qui ex homine in cervum conversus est, canes suae cognoverint. Nam studiosum eloquentiae fuisse Aristotelem atque incredibili quadam suavitate scripsisse, Ciceronis sententia est.¹ Nunc vero hos Aristotelis libros (si tamen eos Aristotelis esse putandum est) et molestos in legendo et absonos videmus, tantaque obscuritate perplexos, ut praeter Sibyllam aut Oedipodem nemo intelligat. Quare desinant isti praeclari philosophi hanc suam sapientiam profiteri. [...]

Neque enim hominibus ingenia desunt, neque discendi voluntas; sed sunt, ut opinor, hac perturbatione scientiarum desiderationeque librorum omnes viae addiscendi praeclusae, ut etiam si quis existat maxime ingenio validus maximeque discendi cupidus, tamen rerum difficultate impeditus, eo, quo cupiat, pervenire non possit. Non enim potest quisquam sine doctrina, sine magistris, sine libris aliquid excellens in studiis suis ostendere. Quarum rerum omnium quoniam facultas nobis adempta est, quis tandem mirabitur, si nemo iam diu ad illam antiquorum dignitatem ne longo quidem intervallo proximus accesserit? [...] Qui, si parum docti sunt, quis tam iniquus iudex erit, qui eorum culpae hoc adscribendum putet, ac non potius temporum vitio et huic rerum perturbationi?

¹ cf. Cic. Acad. 1, 119: flumen orationis aureum fundens Aristoteles. – cf. Cic. Top. 1, 3: quae ab Aristotele dictae et inventae sunt, alluci debuerunt ad eum perdiscendum, sed etiam dicendi incredibili suavitate et copia.

Laurentius Valla (1407-1457) *Elegantiae Linguae Latinae – Praefatio*

Cum saepe mecum nostrorum maiorum res gestas aliorumque, vel regum, vel populorum considero, videntur mihi non modo dictionis nostri homines, verum etiam linguae propagatione ceteris omnibus antecelluisse. Nam Persas quidem, Medos, Assyrios, Graecos, aliosque permultos, longe, lateque rerum potitos esse; quosdam etiam, ut aliquanto inferius quam Romanorum fuit, ita multo diuturnius imperium tenuisse constat. Nullos tamen ita linguam suam ampliasset, ut nostri fecerunt. Qui (ut oram illam Italiae, quae Magna olim Graecia dicebatur, ut Siciliam, quae Graeca etiam fuit, ut omnem Italiam taceam) per totum paene occidentem, per septentrionis, per Africae non exiguam partem, brevi spatio linguam Romanam (quae eadem Latina a Latio, ubi Roma est, dicitur) celebrem, et quasi reginam effecerunt. Et (quod ad ipsas provincias attinet) velut optimam quandam frugem mortalibus ad faciendam sementem, prae-buerunt; opus nimirum multo praeclarius multoque speciosius quam ipsum imperium propagasse.

Qui enim imperium augent, magno illi quidem honore affici solent, atque imperatores nominamus. Qui autem beneficia aliqua in homines contulerunt, ii non humanā, sed divinā potius laude celebrantur. Quippe qui non suae tantum urbis amplitudini, ac gloriae consulant, sed publicae quoque hominum utilitati ac saluti. Itaque nostri maiores rebus bellicis, pluribusque laudibus caeteros homines superarunt, linguae vero suae ampliatione se ipsis superiores fuerunt, tamquam relicto in terris imperio, consortium deorum in caelo consecuti. An vero Ceres, quod frumenti, Liber, quod vini, Minerva, quod olei inventrix putatur, multique alii ob aliquam huiusmodi beneficentiam in deos repositi sunt, linguam latinam nationibus distribuisse minus erit, optimam frugem, et vere divinam, nec corporis sed animi cibum?

Haec enim gentes illas populosque omnes, omnibus artibus, quae liberales vocantur, instituit; haec optimas leges edocuit, haec viam ad omnem sapientiam munivit, haec denique praestitit, ne barbari amplius dici possent. Quaere, quis aequus rerum aestimator non eos praeferat, qui sacra literarum colentes, iis, qui bella horrida gerentes clari fuerunt? Illos enim regios homines, hos vero divinos iustissime dixeris, quibus non (quemadmodum ab hominibus fit) aucta respublica est maiestasque populi Romani solum, sed (quemadmodum a diis) salus quoque orbis terrarum, eo quidem magis, quod qui imperium nostrum accipiebant, suum amittere, et (quod acerbius est) libertate spoliari se existimabant, nec fortasse iniuriā. Ex sermone autem Latino non suum imminui, sed condiri quodammodo intellegebant; ut vinum posterius inventum aquae usum non excussit, nec sericum, lanam linumque, nec aurum cetera metalla de possessione eiecit, sed reliquis bonis accessionem adiunxit. Et sicut gemma aureo inclusa anulo non deornamento est, sed ornamento, ita noster sermo accedens, aliorum sermoni vernaculo, contulit splendorem, non sustulit.

Neque enim armis, aut cruore, aut bellis dominatum adeptus est, sed beneficiis, amore, concordia. Cuius rei (quantum coniecturā suspicari licet) hoc, ut ita loquar, seminarium

fuit. Primum, quod ipsi maiores incredibiliter se in omni studiorum genere excolebant, ita, ut ne in re quidem militari aliquis (nisi idem in literis) praestans esse videretur. Quod erat ceteris ad aemulationem non exiguum incitamentum. Deinde, quod ipsis literarum professoribus praemia egregia sane proponebant. Postremo, quod hortabantur provinciales omnes, ut cum Romae, tum in provinciā Romane loqui consuescerent. At (ne pluribus agam) de comparatione imperii sermonisque Romani, hoc satis est dixisse. Illud pridem tamquam ingratum onus, gentes, nationesque abiecerunt, hunc omni nectare suaviorem, omni serico splendidiorem, omni auro gemmāque pretiosiore putaverunt, et quasi deum quendam e caelo demissum apud se retinuerunt.

Magnum ergo Latini sermonis sacramentum est, magnum profecto numen, quod apud peregrinos, apud barbaros, apud hostes, sancte ac religiose per tot saecula custoditur; ut non tam dolendum nobis Rhomanis, quam gaudendum sit, atque ipso etiam orbe terrarum exaudiente gloriandum. Amisimus Romam, amisimus regnum, amisimus dominatum, tametsi non nostrā, sed temporum culpā. Verum tamen per hunc splendidiorem dominatum in magnā adhuc orbis parte regnamus. Nostra est Italia, nostra est Gallia, nostra Hispania, Germania, Pannonia, Dalmatia, Illyricum, multaeque aliae nationes. Ibi namque Romanum imperium est, ubicunque Romana lingua dominatur.

Eant igitur nunc Graeci, et linguarum copiā se iactent. Plus nostra una effecit, et quidem inops (ut ipsi volunt) quam illorum quinque (si eis credimus) locupletissimae et multarum gentium velut una lex, una est lingua Romana; unius Graeciae (quod pudendum est) non una, sed multae sunt tamquam in re publica factiones. Atque exteri nobiscum in loquendo consentiunt, Graeci inter se consentire non possunt; nedum alios ad sermonem suum se perducturos sperent. Varie apud eos loquuntur auctores, Attice, Aeolicae, Ionice, Dorice, κοινῶς. Apud nos, id est apud multas nationes, nemo nisi Romane, in qua disciplinae cunctae libero homines dignae continentur, sicut in suā multiplici apud Graecos, qua vigente quis ignorat studia omnia disciplinasque vigere, occidente occidere?

Qui enim summi philosophi fuerunt, summi oratores, summi iureconsulti, summi denique scriptores? Nempe ii, qui bene loquendi studiosissimi. Sed me plura dicere volentem impedit dolor, et exulcerat, lacrimarique cogit intuentem, quo ex statu et in quem facultas ista reciderit. Nam quis litterarum, quis publici boni amator a lacrimis temperet, cum videat hanc in eo statu esse, quo olim Roma capta a Gallis? Omnia eversa, incensa, diruta, ut vix Capitolina supersit arx. Siquidem multis iam saeculis non modo Latine nemo locutus est, sed ne Latina quidem legens intellexit. Non philosophiae studiosi philosophos, non causidici oratores, non leguleii iureconsultos, non ceteri lectores veterum libros perceptos habuerunt aut habent. Quasi amisso Romano Imperio, non deceat Romane nec loqui nec sapere, fulgorem illum Latinitis situ ac rubigine passi obsolescere.

Et multae quidem sunt prudentium hominum variaeque sententiae, unde hoc rei acciderit. Quarum ipse nullam nec improbo, nec probo, nihil sane pronuntiare ausus, non magis quam cur illae artes, quae proxime ad liberales accedunt, pingendi, sculpendi, fingendi, architectandi, aut tam diu tantoque opere degeneraverint ac paene cum literis ipsis

demortuae fuerint, aut hoc tempore excitentur ac reviviscant, tantusque tum bonorum opificum, tum bene literatorum proventus efflorescat. Verum enimvero quo magis superiora tempora infelicia fuere, quibus homo nemo inventus est eruditus, eo plus his nostris gratulandum est, in quibus (si paulo amplius adnitamur) confido propediem linguam Romanam vivere plus quam urbem, et cum ea disciplinas omnes restitutum iri.

Quare pro mea in patriam pietate, immo adeo in omnes homines, et pro rei magnitudine cunctos facundiae studiosos velut ex superiore loco libet adhortari evocareque, et illis (ut aiunt) bellicum canere. Quousque tandem Quirites (literatos appello, et Romanae linguae cultores, qui et vere, et soli Quirites sunt, ceteri enim potius inquilini) - quousque, inquam, Quirites, urbem vestram non dico domicilium imperii, sed parentem litterarum a Gallis esse captam patiemini, id est, Latinitatem a barbaris oppressam? Quousque profanata omnia duris et paene impiis oculis aspicietis? An dum fundamentorum reliquiae vix appareant?

Alius vestrum scribit historias, istud est, Veios habitare, alius Graeca transfert, istud est, Ardeae confidere, alius orationes, alius poemata componit, istud est, Capitolium arcemque defendere. Praeclara quidem res et non mediocri laude digna, sed non hoc hostes expellit, non patriam liberat. Camillus nobis Camillus imitandus est, qui signa (ut inquit Vergilius) in patriam referat, eamque restituat, cuius virtutis adeo ceteris praestantior fuit, ut illi, qui vel in Capitolio, vel Ardae, vel Veiis erant, sine hoc salvi esse non possent. Quod hoc quoque tempore continget, et ceteri scriptores ab eo, qui de lingua Latina aliquid composuerit, non parum adiuvabuntur.

Equidem (quod ad me attinet) hunc imitabor, hoc mihi proponam exemplum, comparabo (quantulumcunque vires meae ferent) exercitum, quem in hostes quamprimum educam. Ibo in aciem, ibo primus, ut vobis animum faciam. Certemus, quaeso, honestissimum hoc pulcherrimumque certamen, non modo, ut patriam ab hostibus recipiamus, verum etiam, ut in eam recipiendam quis maxime Camillum imitabitur, appareat. Difficillimum quidem praestare, quod ille praestitit, omnium imperatorum meam sententiam maximus, riteque secundus a Romulo conditor urbis appellatus. Ideoque plures, pro se quisque, in hanc rem elaboremus, ut saltem multi faciamus, quod unus effecit. Is tamen iure, vereque Camillus dici, existimarique debet, qui optimam in hac re operam navaverit. De me tantum affirmare possum, non quod sperarem tantae me rei satisfacturum, difficillimam sumpsisse labores partem durissimamque provinciam, sed, ut redderem alios ad cetera prosequenda alacriores. Hi enim libri nihil fere quod ab aliis auctoribus (iis duntaxat qui extant) traditum est, continebunt. Atque hinc principium nostrum auspicemur.

Poggius Bracciolinus (1380-1459) – *Epistula ad Guarinum Veronensem* (1370-1460)

Licet inter quotidianas occupationes tuas, pro tuā in omnes humanitate et benivolentiā in me singulari iucundum semper tibi litterarum mearum adventum esse non ignorem, tamen ut in hisce perlegendis praecipuam quandam praestes attentionem, te maiorem in modum obsecro; non quidem ob eam causam, ut aliquid in me sit, quod vel summe otiosus requirat; sed propter rei dignitatem de quā scripturus sum, quam certe scio, cum sis longe peritissimus, non parvam tibi ceterisque studiosis hominibus esse allaturam animi iucunditatem. Nam quid est, per deum immortalem, quod aut tibi aut ceteris doctissimis viris possit esse iucundius, gratius, acceptius, quam cognitio earum rerum, quarum commercio doctiores efficimur et, quod maius quiddam videtur, elegantiores?

Nam cum generi humano rerum parens natura dederit intellectum atque rationem, tamquam egregios duces ad bene beateque vivendum, quibus nihil queat praestantius excogitari, tum haud scio, an sit omnium praestantissimum, quod ea nobis elargita est usum atque rationem dicendi, sine quibus neque ratio ipsa neque intellectus quicquam ferme valerent. Solus est enim sermo, quo nos utentes ad exprimendam animi virtutem ab reliquis animantibus segregamur. Permagna igitur habenda est gratia, tum reliquarum liberalium artium inventoribus, tum vel praecipue iis, qui dicendi praecepta et normam quandam perfecte loquendi suo studio et diligentia nobis tradiderunt. Effecerunt enim, ut quā in re homines ceteris animantibus maxime praestant, nos ipsos etiam homines antecelleremus.

Huius autem sermonis exornandi atque excolendi cum multi praeclari, ut scis, fuerint Latinae linguae auctores, tum vel praecipuus atque egregius M. Fabius Quintilianus, qui ita diserte, ita absolute summā cum diligentia exsequitur ea, quae pertinent ad instituendum vel perfectissimum oratorem, ut nihil ei vel ad summam doctrinam vel singularem eloquentiam meo iudicio deesse videatur. Quo uno solo, etiam si Cicero, Romanae parens eloquentiae, deesset, perfectam consequeremur scientiam recte dicendi.

Is vero apud nos antea, Italos dico, ita laceratus erat, ita circumcisis, culpā, ut opinor, temporum, ut nulla forma, nullus habitus hominis in eo recognosceretur. Tute hominem vidisti hactenus »lacerum crudeliter ora / ore manusque ambas populataque tempora raptis / auribus, et truncas inhoneste vulnere nares.«² Dolendum quippe erat, aegre ferendum nos tantam in hominis tam eloquentis foedā laceratione iacturam oratoriae facultatis fecisse; sed quo tunc plus erat doloris et molestiae ex eius viri mutilatione, eo magis nunc est congratulandum, cum sit in pristinum habitum et dignitatem, in antiquam formam atque integram valetudinem nostra diligentia restitutus. Nam si Marcus Tullius magnum prae se fert gaudium pro Marco Marcello restituto ab exilio, et eo quidem tempore, quo Romae plures erant Marcelli similes domi forisque egregii ac praestantes viri, quid nunc agere docti homines debent, et praesertim studiosi eloquentiae, cum singulare et unicum lumen Romani nominis, quo exstincto nihil praeter Ciceronem supererat (et eum

² Verg. Aen. 6, 496-498.

modo simili lacerum ac dispersum), non tantum ab exsilio, sed ab ipso paene interitu revocaverimus?

Nam mehercule nisi nos auxilium tulissemus, necesse erat illum propediem interiturum. Neque enim dubium est virum splendidum, mundum, elegantem, plenum moribus, plenum facetiis, foeditatem illius carceris, squalorem loci, custodum saevitiam diutius perpeti non potuisse. Maestus quidem ipse erat ac sordidatus, tamquam mortis rei solebant squalentem barbam gerens et concretos pulvere crines,³ ut ipso vultu atque habitu fateretur ad immeritam se sententiam vocari. Videbatur manūs tendere, implorare Quiritum fidem, ut se ab iniquo iudicio tuerentur, postulare et indigne ferre, quod, qui quondam suā ope, suā eloquentiā multorum salutem conservasset, nunc neque patronum quempiam inveniret, quem misereret fortunarum suarum, neque qui suae consuleret saluti aut ad iniustum rapi supplicium prohiberet. Sed quam temere persaepe eveniunt, quae non audeas optare, ut inquit Terentius noster.⁴

Fortuna quaedam fuit cum sua tum maxime nostra, ut, cum essemus Constantiae otiosi, cupido incesseret videndi eius loci, quo ille reclusus tenebatur. Est autem monasterium Sancti Galli prope urbem hanc milibus passuum XX. Itaque nonnulli animi laxandi et simul perquirendorum librorum, quorum magnus numerus esse dicebatur, gratiā eo perreximus. Ibi inter confertissimam librorum copiam, quos longum esset recensere, Quintilianum comperimus adhuc salvum et incolumem, plenum tamen situ et pulvere squalentem. Erant enim non in bibliotheca libri illi, ut eorum dignitas postulabat, sed in taeterrimo quodam et obscuro carcere, fundo scilicet unius turris, quo ne capitalis quidem rei damnati retruderentur.

Atque ego pro certo existimo, si essent qui haec barbarorum ergastula, quibus hos detinent viros, rimarentur ac recognoscerent amore maiorum, similem fortunam experturos in multis, de quibus iam est conclamatum. Reperimus praeterea libros tres primos et dimidiam quarti C. Valerii Flacci *Argonauticon* et expositiones, tamquam thema quoddam, super octo Ciceronis orationibus Q. Asconii Pediani, eloquentissimi viri, de quibus ipse meminit Quintilianus. Haec mea manu transcripsi, et quidem velociter, ut ea mitterem ad Leonardum Aretinum et Nicolaum Florentinum; qui, cum a me huius thesauri adinventionem cognovissent, multis a me verbis Quintilianum per suas litteras quam primum ad eos mitti contenderunt.

Habes, mi suavissime Guarine, quod ab homine tibi deditissimo ad praesens tribui potest. Vellem et potuisse librum transmittere, sed Leonardo nostro satisfaciendum fuit. Verum scis, quo sit in loco, ut, si eum voles habere, puto autem te quam primum velle, facile id consequi valeas. Vale et me, quando id mutuuum fit, ama. Constantiae, XVIII Kalendas Ianuarias, Anno Christi 1417.

³ cf. Verg. Aen. 2, 277-278: squalentem barbam et concretos sanguine crinis / vulneraque illa gerens.

⁴ cf. Ter. Phor. 757: quam saepe forte temere eveniunt quae non audeas optare!

Leonardi Bruni (1370-1444) *Commentaria rerum suo tempore gestarum* (1440/1)

Litterae per huius belli intercapedines mirabile quantum per Italiam increvère, accedente tunc primum cognitione litterarum Graecarum, quae septingentis iam annis apud nostros homines desierant esse in usu. Rettulit autem Graecam disciplinam ad nos Chrysoloras Byzantinus, vir domi nobilis ac litterarum Graecarum peritissimus. Hic obsessa a Turcis patria Venetias mari delatus primo, mox audita eius fama invitatus benigne ac postulatus et salario publico affectus Florentiam venit sui copiam iuvenibus exhibiturus. Ego per id tempus iuri civili operam dabam, non rudis tamen ceterorum studiorum. Nam et natura flagrabam disciplinarum amore et dialecticis ac rhetoricis non segnem operam impenderam. Itaque in adventu Chrysolorae anceps equidem factus sum, cum studium iuris deserere flagitiosum ducerem, et tantam occasionem litterarum Graecarum ediscendarum praetermittere scelus quodammodo arbitrarer. Saepiusque ipse ad me iuvenili motu inquebam: “Tu, cum tibi liceat Homerum, Platonem et Demosthenem ceterosque poetas et philosophos et oratores, de quibus tanta ac tam mirabilia circumferuntur, intueri atque una colloqui ac eorum mirabili disciplina imbui, te ipsum deseres atque destitues? Tu occasionem hanc divinitus tibi oblatam praetermittes? Septingentis iam annis nemo per Italiam Graecas litteras tenuit, et tamen doctrinas omnes ab illis esse confitemur. Quanta igitur vel ad cognitionem utilitas vel ad famam acceptio vel ad voluptatem cumlatio tibi ex linguae huius cognitione perveniet! Iuris quidem civilis doctores passim complurimi sunt; nec te deficiet umquam discendi facultas. Hic autem unus solusque litterarum Graecarum doctor si e conspectu se auferet, a quo postmodum ediscas, nemo reperietur.” His tandem rationibus expugnatus Chrysolorae me tradidi tanto discendi ardore, ut, quae per diem vigilans percepissem, ea nocte quoque dormiens agitarem. Condiscipulos habui complures, sed, qui maxime profecerint, duos ex nobilitate Florentina: Robertum Russum et Pallam Onufrii filium Stroza. Erat insuper in eadem disciplina Iacobus quidem Angeli, qui auctor imprimis fuerat Chrysolorae arcessendi. Accessit quoque postmodum Petrus Vergerius Iustinopolitanus, qui, cum Patavii studio floreret, secutus Chrysolorae famam, sese Florentiam contulerat ad eum audiendum. Ex his Robertus et Vergerius et Iacobus Angeli me longe anteibant aetate. Pallas erat ferme aequalis. Apud hunc ego magistrum super biennium fui institutus, sane probabili atque optima disciplina. Tandem imperatore Constantinopolitano in Italiam advecto revocanteque ad se Chrysoloram abiit ille Florentia et Mediolanum ad imperatorem suum se contulit.

Leonardi Bruni (1370-1444) *Praefatio in Phaedonem Platonis ad Antonium Luscum* (1424)

Subgloriari licet, videntissime Lusche, praesertim ad te scribenti, qui mihi conscius es, quantum ego, etsi forsitan non satis profecisse videor, attamen conatus sim communibus nostrorum hominum studiis utilitatique prodesse. Nam postquam Chrysoloras Byzantinus, vir magnus quidem ac prope singularis, disciplinam Graecarum litterarum in Italiam rettulit, quarum cognitio, quae quidem liberaliter erudita foret, septingentos iam annos

nulla nostros apud homines habebatur, nos, tunc adolescentes ab illo summo Graecae linguae magistro instituti et docti, omnem mox operam ad id convertimus, ut, quarum rerum inopiam Latini paterentur, eas de Graecorum copia nostris laboribus suppleremus. Quare et historiae aliquot, partim ignotae penitus, partim obscurae prius, nostra iam pridem opera Latinis claruerunt. Et oratorum Graecorum, quo quidem genere litterarum neque illustrius quicquam neque perfectius reperiri potest, traductis aliquot Demosthenis Aeschinisque orationibus, participes illorum facundiae nostros reddidimus. Inde maiora iam ausi Platonis Aristotelisque libri, quos fore utilissimos ac dignissimos cognitu putabamus, ne ista quoque litterarum pars studiosis deesset, multis vigiliis lucubrationibusque per nos traducti ut Latine legerentur, effecimus. Praetereo alia, quae referre possum: Xenophontis, Plutarchi, Basili; neque enim propositum singula prosequi, sed generatim attingere.

Leonardi Bruni Aretini (1370-1444) - Cicero Novus (1415)

In urbem inde reversus, quoniam summa rerum in arbitrio unius posita foro et curiae locum nullum relinquebat, ad litteras et studia se rettulit, ut, quando aliā non dabatur, illā saltem viā civibus suis prodesset. Plurimum vero per id tempus in praediis suis morabatur: ad urbem, nisi Caesaris salutandi aut pro salute alicuius civis orandi gratiā, non accedebat. [...] Ceterum omne tempus aut disputationibus familiarium aut legendo scribendoque assumebatur:

Homo vere natus ad prodessendum hominibus, vel in re publicā, vel in doctrinā: siquidem in re publicā patriam consul et innumerabiles orator servavit: in doctrinā vero et litteris, non civibus suis tantum, sed plane omnibus, qui Latinā utuntur linguā, lumen eruditionis sapientiaeque aperuit.

Hic enim primus philosophiam antea nostris litteris incognitam, et paene a Romano sermone abhorrentem, de quā nec Latine scribi nec disputari plerique docti viri arbitrabantur, Latinis litteris explicuit. Hic plurima verba ad usum patrii sermonis adiunxit, quo lucidius et commodius philosophorum inventa disputataque exprimerentur. Hic dicendi praecepta et artem prius quam ulli nostri, doctius quam ulli Graeci, patefecit et tradidit. Hic ad potestatem Romani imperii dominam rerum humanarum, eloquentiam, adiunxit. Itaque non magis »patrem patriae« appellare ipsum convenit, quam »parentem eloquii et litterarum nostrarum.«

Cuius libros monumentaque si evolvas, numquam illi otium fuisse credas ad negotia obeunda. Rursus autem si res gestas eius, si contentiones, si occupationes, si certamina in re publicā et privatā consideres, nullum tempus illi reliquum fuisse existimes ad legendum vel scribendum. Ita solus, ut credo, hominum duo maxima munera et difficillima adimplevit, ut et in re publicā orbis terrarum moderatrice occupatissimus, plura scriberet

quam philosophi in otio studioque viventes; et rursus: studiis librisque scribendis maxime occupatus, plura negotia obierit quam ii, qui vacui sunt ab omni curā litterarum.

Huius ego causam fuisse puto primo admirabilem quandam ac divinam ingenii magnitudinem, deinde vigilantem sollertemque naturam, tertio quod plenus omni sapientiā ad rem publicam se contulerat. Itaque ex eodem philosophiae sacrario et facta ad rem publicam gubernandam et dicta ad scribendum praecipendumque aliis depromebat. Ingenue vero ab adulescentiā eruditus, et in dicendo plurimum exercitatus, facile et sine labore cogitationes suas mandare litteris poterat.

Hāc igitur facilitate ingenii, hōc naturae munere, hāc denique sapientiā et eruditone fretus, a pueritiā ad exitum vitae multa scripsit: multa etiam, cum mors indigna illum eripuit, scribere instituerat. Genera autem scriptorum eius quadripartita fuerunt. Quemadmodum enim illius opera partim in re publicā administrandā, partim in foro iudiciisque, partim in domesticis familiaribusque negotiis ponebatur (erat autem aliud tempus quod seorsum ad studia doctrinasque referebat), sic scriptorum eius alia publica sunt, alia forensia, quaedam familiaria, quaedam studiorum atque doctrinae.

Atque ut ab eā parte, quae ad studia et doctrinas pertinet, et in illā ipsā ab optimis incipiamus: inter maxime praestabilia eius generis opera, sex libri de re publicā fuisse memorantur, quos constat ab eo editos, postquam ab exilio in urbem redierat. Scripsit post haec de finibus bonorum et malorum libros quinque, in quibus Stoicorum, Peripateticorum, Epicureorum et Academicorum sectas varietatesque aperuit. Tusculanarum quaestionum libros quinque. De naturā deorum tres. De divinatione duos. De legibus tres. De officiis totidem. Adversus vituperatores philosophiae librum unum. Academicorum libros quattuor. De senectute. De amicitia. De consolatione libros singulos. De gloriā libros duos. De fato unum. Laudationem Catonis, adversus quam Caesar »Anticatones« rescripsit. Paradoxa ad Brutum. Topica ad Trebatium.

Transtulit Platonis Timaeum atque Protagoram, Xenophontis Oeconomicum, Arati librum hexametro carmine, Demosthenis et Aeschinis orationes illas famosissimas in causā Ctesiphontis.

Quae cum apud nostros negligenter custoditae iam pridem ex Italiā tamquam peregrinae alienaeque aufugissent, nos Ciceronem imitati eas ex Graeciā in Latinum nostrā manu reduximus.

Scripsit in oratoriā facultate rhetoricorum libros quattuor ad C. Herennium. Item de eādem re libros duos. Post haec longe eruditius de oratore libros tres, in quibus omnem veterum et Aristotelicam et Isocrateam rationem oratoriam complexus est. [...]

Marcus Tullius Cicero (106-43 a. Chr.) - Florilegium ex operibus philosophicis

[1] Sed et huius culpae et ceterorum vitiorum peccatorumque nostrorum omnis a philosophia petenda correctio est. Cuius in sinum cum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna iactati tempestate confugimus. O vitae philosophia dux, o virtutis

indagatrix expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu urbis peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitae convocasti, tu eos inter se primo domiciliis, deinde coniugiis, tum litterarum et vocum communione iunxisti, tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti; ad te confugimus, a te opem petimus, tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus totosque tradimus. Est autem unus dies bene et ex praeceptis tuis actus peccanti immortalitati anteponeendus. (Cic. Tusc. 5, 5)

[2] Ac mihi quidem explicandae philologiae causam adtulit casus gravis civitatis, cum in armis civilibus nec tueri meo more rem publicam nec nihil agere poteram, nec quid potius, quod quidem me dignum esset, agerem reperiebam. Dabunt igitur mihi veniam mei cives vel gratiam potius habebunt, quod, cum esset in unius potestate res publica, neque ego me abdidici neque deserui [...]. Id enim ipsum a Platone philologiae didiceram: naturales esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eae tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis. Quod cum accidisset nostrae rei publicae, tum pristinis orbi muneribus haec studia renovare coepimus, ut et animus molestiis hac potissimum re levaretur, et prodessemus civibus nostris qua re cumque possemus. In libris enim sententiam dicebamus, contionabamur, philosophiam nobis pro rei publicae procuracione substitutam putabamus. (Cic. div. 2, 1-7)

[3] Cum defensionum laboribus senatoriisque muneribus aut omnino aut magnā ex parte essem aliquando liberatus, rettuli me, Brute, te hortante maxime ad ea studia, quae retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo remissa revocavi, et cum omnium artium, quae ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio et disciplina studio sapientiae, quae philosophia dicitur, continetur, hoc mihi Latinis litteris inlustrandum putavi, non quia philosophia Graecis et litteris et doctoribus percipi non posset, sed meum semper iudicium fuit omnia nostros aut invenisse per se sapientius quam Graecos, aut accepta ab illis fecisse meliora, quae quidem digna statuissent, in quibus elaborarent. (Cic. Tusc. I, 1)

[4] Quaerenti mihi multumque et diu cogitanti, quam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere rei publicae, nulla maior occurebat, quam si optimarum artium vias traderem meis civibus. [...] Adhuc haec erant; ad reliqua alacri tendebamus animo, sic parati ut, nisi quae causa gravior obstitisset, nullum philosophiae locum esse pateremur, qui non Latinis litteris inlustratus pateret. Quod enim munus rei publicae adferre maius meliusve possumus quam si docemus atque erudimus iuventutem, his praesertim moribus atque temporibus [cf. "moribus antiquis res stat Romana virisque" (Cic. Rep. 5, 1)], quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda ac coercenda sit. Nec vero id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, ut omnes adulescentes se ad haec studia convertant: pauci utinam, quorum tamen in re publica late patere poterit industria. (Cic. Div. 2, 1-7)

[5] Ego vero, cum forensibus operis, laboribus, periculis non deseruisse mihi videor praesidium, in quo a populo Romano locatus sum, debeo profecto, quantumcumque possim, in eo quoque elaborare, ut sint operā, studio, labore meo doctiores cives mei; [...] et iis servire, qui vel utrisque litteris uti velint vel, si suas habent, illas [= litteras Graecas] non magno opere desiderant. (Cic. Fin. 1, 10)

[6] Ex hoc nascitur etiam, ut comunis hominum inter homines naturalis sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine ob id ipsum, quod homo sit, non alienum videri. [...] Ex quo illud natura consequi, ut communem utilitatem nostrae anteponamus. [cf. “ut praeclare a Platone scriptum est: non nobis solum nati sumus. (Cic. Off. 1, 18)] Impellimur autem naturā, ut prodesse velimus quam plurimis, in primisque docendo rationibusque prudentiae tradendis. Itaque non facile est invenire, qui, quod sciat, non tradat alteri. (Cic. Fin. 3, 63-68)

[7] Hi [= Epicurei] non viderunt, ut ad cursum equum, ad arandum bovem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, ad intelligendum et ad agendum, esse natum, quasi mortalem deum. (Cic. Fin. 2, 40)

[8] virtutis enim laus in actione consistit. A qua tamen fit intermissio saepe, multique dantur ad studia reditus. (Cic. Off. 1, 19)

[9] In duas partes virtus dividitur: in contemplationem veri et actionem. (Sen. ep. 94, 45)

[10] Natura autem utrumque facere me voluit, et agere et contemplationi vacare. (Sen. Ot. 5,8)

[11] natura nos ad utrumque genuit: et contemplationi rerum et actioni. (Sen. Ot. 3,5-4,2)

[12] Nam vetus quidem illa doctrina eadem videtur et recte faciendi et bene dicendi magistra; neque diiuncti doctores sed iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi, ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre Achilli iuveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret “oratorem verborum actoremque rerum. (Cic. De orat. 3, 57)

[13] Ut ager quamvis fertilis sine cultura fructuosus esse non potest, sic sine doctrina animus; ita est utraque res sine altera debilis. Cultura autem animi philosophia est; haec extrahit vitia radicitus et praeparat animos ad satus accipiendos eaque mandat eis et, ut ita dicam, serit, quae adulta fructus uberrimos ferant. (Cic. Tusc. 2, 13)

Leonardi Bruni (1370-1444) *Epistula ad Nicolaum Strozzi* (1413-34)

[...] Studium vero tibi sit duplex: alterum in litterarum peritiā non vulgari ista⁵ et communi sed diligentiore quādam atque reconditā, in quā praecellere te magnopere volo; alterum in cognitione earum rerum, quae pertinent ad vitam et mores, quae propterea humanitatis studia nuncupantur quod hominem perficiant atque exornent. In hoc genere varia et multiplex et undecumque arrepta sit tibi cognitio, nihil ut praetermittas quod ad institutionem vitae, quod ad decus, quod ad laudem pertinere videatur. Sed eos legas, censeo, qui non solum doctrinā verum etiam nitore orationis ac peritiā litterarum iuvare te possint, quales sunt Ciceronis libri et si qui proxime accedunt. Si tamen me audies, fundamenta disciplinamque harum rerum ab Aristotele perdisces, ornamentum vero orationis et copiam et omnes verborum divitias sermonisque (ut ita loquar) dexteritatem in his ipsis rebus a Cicerone mutuaberis.

Volo namque praestanti viro hoc adsit, ut et scientiam rerum habeat abundantem et ea ipsa, quae scit, illustrare dicendo et exornare possit. Hoc autem facere nemo valebit, nisi multa legerit, multa didicerit, multa undique decerpserit. Itaque non modo a philosophis doctus, quod est huius studii fundamentum, verum etiam a poetis et ab oratoribus et ab historicis paratus venias oportebit, ut copiosa et varia ac nullā in re rudis sit tibi oratio. [...] Studia quidem ista ad faciendum bonum virum tota contendunt, quo nihil utilius excogitari potest. [...] Superioribus illis studiis tanta dignitas inest, ut nemo princeps, nemo rex sibi turpe ducat scientiā illarum rerum et eloquentiā insigniri. Alexandrum certe Philippus pater Aristoteli tradidit [...] ad doctrinam vitae et morum et ad eloquentiam perdiscendam.⁶

Leonardi Bruni (1370-1444) – *De Studiis Litterarum*

Omnino enim praestantia illa, de qua loquor, non nisi ex multarum variarumque rerum fit cognitione. Itaque multa vidisse legisseque oportet et philosophis et poetis et oratoribus et historicis et aliis omnibus scriptoribus operam impertisse. Sic enim resultat plenum quiddam ac sufficiens, ut copiosi, ut varii, ut ornati, ut nulla in re vacui rudesque videamur.

⁵ cf.: Bruni, *De Studiis*: Eruditionem autem intellego non vulgarem istam et perturbatam, quali utuntur ii, qui nunc theologiam profitentur, sed legitimam illam et ingenuam, quae *litterarum peritiam* cum *rerum scientiā* coniungit.

⁶ cf.: Cic. *De Orat.* 3, 141: Itaque ornavit doctrinam illam omnem *rerumque cognitionem* cum *orationis exercitatione* coniunxit. Neque vero hoc fugit regem Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem accierit, a quo eodem ille et *agendi* acciperet *praecepta et eloquendi*.

- cf. Cic. *De orat.* 3, 57: Nam vetus quidem illa doctrina eadem videtur et recte faciendi et bene dicendi magistra; neque erant diiuncti doctores sed iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi, ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre Achilli iuveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret »*oratore* *verborum actoremque rerum*.« - cf. Hom. *Il.* 9, 438-443: σοὶ δέ μ' ἔπειπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεὺς / ἦματι τῷ ὅτε σ' ἐκ Φθίης Ἀγαμέμνονι πέμπε / νήπιον οὐ πω εἰδὸθ' ὁμοῖου πολέμοιο / οὐδ' ἀγορέων, ἵνα τ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσι. / τοῦνεκά με προέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα, / μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων.

Adhibenda insuper est litterarum peritia non tenuis neque contemnenda. Haec enim duo sese invicem iuvant mutuoque deserviunt. Nam et litterae sine rerum scientia steriles sunt et inanes, et scientia rerum quamvis ingens, si splendore careat litterarum, abdita quaedam et obscura videtur. Quid enim prodest multa et pulchra scire, si neque loqui de his cum dignitate neque mandare litteris nisi ridicule possis? Haec duo simul coniuncta veteres illos, quos veneramus, ad celebritatem nominis gloriamque provexere: Platonem, Democritum, Aristotelem, Theophrastum, Varronem, Ciceronem, Senecam, Augustinum, Hieronymum, Lactantium, in quibus omnibus discerni vix potest, maiorne scientia rerum an peritia litterarum fuerit.

Leonardi Bruni (1370-1444) *Isagogicon Moralis Disciplinae* (1421-24)

Si ut vivendi, Galeotte, sic etiam bene vivendi nobis cura esset, infinitos paene labores, quibus stultitia aestuat humana, tamquam superfluos et insanos fugiendos longe omittendosque putaremus. Nunc autem omnis noster error ab eo manat, quod sine proposito fine vivimus, et velut in tenebris caecutientes non tam per callem aliquem nobis perspectum et certum quam per oblatam nobis semitam fortuito ambulamus, ut saepe, quo nostri ferant gressus, ne ipsi quidem sciamus edicere. Itaque et conatūs saepe nos paenitet nostri, et sequentes pariter assecutique torquemur, nihil solidum nanciscentes, in quo stulta hominum appetitio conquiescat. Est enim veri boni a natura nobis ingenerata cupido, verum confusa illa quidem atque incerta fallacibusque opinionibus tamquam tenebris quibusdam obducta, quibus obcaecati atque decepti per devia aberramus. Sed adversus hanc humani generis caecitatem et tenebras opem a philosophia petendum est quae, si forte nos dignata lumen suum admoverit, hanc omnem, quae nos turbat, caliginem dissipabit veramque vivendi viam a fallaci discernet. Equidem memini primis ab annis studiosum te philosophiae fuisse, verum illius, quae ad naturae pertinet indagationem. Quae, etsi est sublimis atque excellens, tamen minus habet utilitatis ad vitam quam ista, quae ad mores hominum virtutesque descendit; nisi forte instructor erit ad bene vivendum, qui, pruinae et nives et iridis colores quemadmodum fiant, didicerit, quam si illa numquam didicisset; aut emedatior erit eius vita, cui halos et presteres noti sunt, quam si omnino essent incogniti! Similia his sunt cetera, quae in illa traduntur: habent enim splendorem cognitionis eximium, vitae autem utilitatem non habent. At vero haec altera philosophia tota (ut ita dixerim) de re nostra est. Itaque qui huius cognitione omissā physicae intendunt, ii alienum quoddammodo negotium agere videntur, suum omittere.⁷

⁷ cf. Aug. Conf. 10, 8, 15: Et eunt homines mirari alta montium et ingentes fluctus maris et latissimus lapsus fluminum et oceani ambitum et gyros siderum et relinquunt se ipsos.

Leonardi Bruni *Epistula ad Nicolaum Niccoli* (1407)

Quod vero ad conversionem eiusdem libri [= historiarum Thucydidis] cohortaris, obsecro te, Nicolae: quae tandem ista tua cupiditas est, seu potius inexplebilis vorago, ut neque occupationum neque laborum meorum ullam habeas rationem? Non tibi venit in mentem, quam multis vigiliis opus sit ad tantum opus conficiendum? Quae, si iam etiam ab occupationibus rerum curialium mihi vacuae forent, tamen mallet equidem vel in philosophia vel in alia quapiam facultate, quae me facere meliorem posset, quam in transferendis Graecorum historiis meum studium et diligentiam ponere. [...] Itaque, quantum mihi detur otii, id totum libentius in eo pono, ut intellegam, quo pacto vita nobis instituenda sit et quibus rebus traducenda, quanti virtus existimari debet, quantus sit iustitiae splendor, quantum honestatis decus, quanta modestiae laus, quanta fortitudinis gloria, quantus ipsorum, quae supra dicta sunt, in eisdem ipsis sit fructus, praeterea quantum divitiis, quantum potentiae tribuendum. Et adversus cupiditates animi arcem rationis praemunire studeo et, quam perniciosus sit opinionis error, addisco. Haec mihi digna videntur, in quibus omnis meditatio nostra, omnis cura diligentiaque ponatur, ne ignoratione huiusmodi rerum quasi caeci in vita aberremus, neve prius mori nos contingat, quam vivere incipiamus. Est autem unus per virtutem actus dies peccanti aeternitati, ut inquit Cicero, praefendus. Cum igitur haec mihi necessaria sint, non est consilii mei lectionem eorum praetermittere, ut aliis scribam ad voluptatem. Vale!

Marcus Tullius Cicero (106-43 a. Chr.) – *De Inventione, Praefatio*

Saepe et multum hoc mecum cogitavi, bonine an mali plus attulerit hominibus et civitatibus copia dicendi ac summum eloquentiae studium. Nam cum et nostrae rei publicae detrimenta considero, et maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per disertissimos homines invectam partem incommodorum; cum autem res ab nostrā memoriā propter vetustatem remotas ex litterarum monumentis repetere instituo, multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societates, sanctissimas amicitias intellego cum animi ratione tum facilius eloquentia comparatas.

Ac me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit, ut existimem sapientiam sine eloquentiā parum prodesse civitatibus, eloquentiam vero sine sapientiā nimium obesse plerumque, prodesse numquam. Quare si quis omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis et officii consumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi, perniciosus patriae civis alitur; qui vero ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriae, sed pro his propugnare possit, is mihi vir et suis et publicis rationibus utilissimus atque amicissimus civis fore videtur.

Ac si volumus huius rei, quae vocatur eloquentia, sive artis sive studii sive exercitationis cuiusdam sive facultatis ab natura profectae considerare principium, reperiemus id ex honestissimis causis natum atque optimis rationibus profectum.

Nam fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum modo vagabantur et sibi victu fero vitam propagabant nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant, nondum divinae religionis, non humani officii ratio colebatur, nemo nuptias viderat legitimas, non certos quisquam aspexerat liberos, non, ius aequabile quid utilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem atque inscientiam caeca ac temeraria dominatrix animi cupiditas ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimis satellitibus.

Quo tempore quidam magnus videlicet vir et sapiens cognovit, quae materia esset et quanta ad maximas res opportunitas in animis inesset hominum, si quis eam posset elicere et praecipiendo meliorem reddere; qui dispersos homines in agros et in tectis silvestribus abditos ratione quadam conpulit unum in locum et congregavit et eos in unam quamque rem inducens utilem atque honestam primo propter insolentiam reclamantes, deinde propter rationem atque orationem studiosius audientes ex feris et inmanibus mites reddidit et mansuetos.

Ac mihi quidem hoc nec tacita videtur nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines a consuetudine subito converteret et ad diversas rationes vitae traduceret.

Age vero urbibus constitutis, ut fidem colere et iustitiam retinere discerent et aliis parere sua voluntate consuescerent ac non modo labores excipiendos communis commodi causa, sed etiam vitam amittendam existimarent, qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quae ratione invenissent, eloquentiā persuadere potuissent? Profecto nemo nisi gravi ac suavi commotus oratione, cum viribus plurimum posset, ad ius voluisset sine vi descendere, ut inter quos posset excellere, cum iis se pateretur aequari et sua voluntate a iucundissimā consuetudine recederet, quae praesertim iam naturae vim optineret propter vetustatem.

Ac primo quidem sic et nata et progressa longius eloquentia videtur et item postea maximis in rebus pacis et belli cum summis hominum utilitatibus esse versata; postquam vero commoditas quaedam, prava virtutis imitatrix, sine ratione officii dicendi copiam consecuta est, tum ingenio freta malitia pervertere urbes et vitas hominum labefactare assuevit.

Marcus Tullius Cicero – De Oratore 3, 121-126

[Crassus]: Non enim solum acuenda nobis et procudenda lingua est, sed onerandum complendumque pectus maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia, varietate. Nostra est enim – si modo nos oratores, si in civium disceptationibus, si in periculis, si in deliberationibus publicis adhibendi auctores et principes sumus – nostra est, inquam, omnis ista prudentiae doctrinaeque possessio, in quam homines quasi caducam atque vacuam abundantes otio nobis occupatis involaverunt atque etiam aut inridentes oratorem, ut ille in Gorgia Socrates, cavillantur, aut aliquid de oratoris arte paucis praecipiant libellis eosque rhetoricos inscribunt, quasi non illa sint propria rhetorum, quae ab isdem de iustitia, de officio, de civitatibus instituendis et regendis, de omni vivendi,

denique etiam de naturae ratione dicuntur. Quae quoniam iam aliunde non possumus, sumenda sunt nobis ab iis ipsis, a quibus expilati sumus, dummodo illa ad hanc civilem scientiam, quo pertinent et quam intuentur, transferamus neque, ut ante dixi, omnem teramus in his descendis rebus aetatem; sed, cum fontis viderimus [...] tum, quotienscumque opus erit, ex iis tantum, quantum res petet, hauriemus. [...] In hoc igitur tanto tam immensoque campo cum liceat oratori vagari libere, atque, ubicumque constiterit, consistere in suo, facile suppeditat omnis apparatus ornatusque dicendi. Rerum enim copia verborum copiam gignit. [...]

Hic Catulus: Di immortales, inquit, quantam rerum varietatem, quantam vim, quantam copiam, Crasse, complexus es. Quantisque ex angustiis oratorem educere ausus es, et in maiorum suorum regno conlocare!

Marcus Tullius Cicero – De Oratore 3, 55-76

[Crassus:] »Vero enim oratori, quae sunt in hominum vitā (quando quidem in eā versatur orator, atque ea est ei subiecta materies) omnia quaesita, audita, lecta, disputata, tractata esse debent. [...] haec vis [eloquentiae], quae scientiam complexa rerum omnium sensa mentis et consilia sic verbis explicat, ut eos, qui audiant, quocumque incubuerit, possit impellere. Quae quo maior est vis, hōc est magis probitate iungenda summāque prudentiā. Quarum virtutum expertibus si dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quaedam arma dederimus. Hanc, inquam, cogitandi pronuntiandique rationem vimque dicendi veteres Graeci »sapientiam« nominabant. [...] [Multi veterum sese ad rem publicam gerendam contulerunt]. Eādē autem alii prudentiā, sed consilio ad vitae studia dispari, quietem atque otium secuti (ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras) a regendis civitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt. Quae vita propter tranquillitatem et propter ipsius scientiae suavitatem, quā nihil est hominibus iucundius, pluris quam utile fuit rebus publicis delectavit. Itaque, ut ei studio se excellentissimis ingeniis homines dediderunt, ex eā summā facultate vacui ac liberi temporis multo plura quam erat necesse doctissimi homines otio nimio et ingeniis uberrimis adfluentes curanda sibi esse ac quaerenda et investiganda duxerunt.

Nam vetus quidem illa doctrina eadem videtur et recte faciendi et bene dicendi magistra; neque diiuncti doctores sed iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi, ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre Achilli iuveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret »oratore verborum actoremque rerum.«

Sed ut homines labore adsiduo et cotidiano adsueti, cum tempestatis causā opere prohibentur, ad pilam se aut ad talos aut ad tesseras conferunt, aut etiam novum sibi ipsi aliquem excogitant in otio ludum, sic illi a negotiis publicis tamquam ab opere aut temporibus exclusi aut voluntate suā feriati totos se alii ad poetas, alii ad geometras, alii ad musicos contulerunt; alii etiam, ut dialectici, novum sibi ipsi studium ludumque

pepererunt, atque in his artibus, quae repertae sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur atque virtutem, omne tempus atque aetates suas consumpserunt.

Sed quod erant quidam, iique multi, qui aut in re publicā propter ancipitem (quae non potest esse seiuncta) faciendi dicendique sapientiam florerent (ut Themistocles, ut Pericles, ut Theramenes), aut, quamvis minus ipsi in re publicā versarentur, sed ut huius tamen scientiae doctores essent (ut Gorgias, Thrasymachus, Isocrates), inventi sunt, qui, cum ipsi doctrinā et ingeniis abundarent, a re autem civili et a negotiis animi quodam iudicio abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarent atque contemnerent; quorum princeps Socrates fuit.

Is, qui omnium eruditorum testimonio totiusque iudicio Graeciae cum prudentiā et acumine et venustate et subtilitate tum vero eloquentiā, varietate, copiā, quam se cumque in partem dedisset, omnium fuit facile princeps, iis, qui haec, quae nunc nos quaerimus, tractarent, agerent, docerent, cum nomine appellarentur uno [=philosophi] (quod omnis rerum optimarum cognitio atque in iis exercitatio »philosophia« nominaretur), hoc commune nomen eripuit, sapienterque sentiendi et ornate dicendi scientiam, re cohaerentes, disputationibus suis separavit. [...] Hinc discidium illud exstitit quasi linguae atque cordis: absurdum sane et inutile et reprehendendum, ut alii nos sapere, alii dicere docerent. [...]

[V]eteres illi usque ad Socraten omnem omnium rerum, quae ad mores hominum, quae ad vitam, quae ad virtutem, quae ad rem publicam pertinebant, cognitionem et scientiam cum dicendi ratione iungebant; postea dissociati, ut exposui, a Socrate disertis a doctis [...sunt]: philosophi eloquentiam despexerunt, oratores sapientiam, neque quicquam ex alterius parte tetigerunt, nisi quod illi ab his aut ab illis hi mutuarentur; ex quo promiscue haurirent, si manere in pristinā communione voluissent. [...] Socratici a se causarum actores et a communi philosophiae nomine separaverunt, cum veteres dicendi et intellegendi mirificam quandam societatem esse voluissent. [...]

[H]os omnes, qui [solitas] artes rhetoricas exponunt, perridiculos [duco]. Scribunt enim de litium genere et de principiis et narrationibus. Illa vis autem eloquentiae tanta est, ut omnium rerum, virtutum, officiorum, omnisque naturae, quae mores hominum, quae animos, quae vitam continet, originem, vim, mutationesque teneat, eadem mores, leges, iura describat, rem publicam gerat, omniaque, quae ad quamcumque rem pertineant, ornate copioseque dicat.

Marcus Fabius Quintilianus – *Institutiones Oratoriae, Praefatio* (§9-20)

Oratorem autem instituimus illum perfectum, qui esse nisi vir bonus non potest; ideoque non dicendi eximiam in eo facultatem sed omnes animi virtutes exigimus. Nequem enim hoc concesserim, rationem rectae honestaeque vitae (ut quidam putaverunt) ad philosophos relegandam; cum vir ille vere civilis et publicarum privatarumque rerum administrationi accomodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare iudiciis possit, non alius sit profecto quam orator. Quare, tametsi me fateor usurum quibusdam,

quae philosophorum libris continentur, tamen ea iure vereque contenderim esse operis nostri proprieque ad artem oratoriam pertinere. An, si frequentissime de iustitia, fortitudine, temperantia ceterisque similibus disserendum est, adeo ut vix ulla possit causa reperiri, in quam non aliqua ex his incidat quaestio, eaque omnia inventionem atque elocutionem sint explicanda: dubitabitur, ubicunque vis ingenii et copia dicendi postulatur, ibi partes oratoris esse praecipuas? Feruntque haec, ut Cicero apertissime colligit, quemadmodum iuncta natura sic officio quoque copulata, ut iidem sapientes atque eloquentes haberentur. Scidit deinde se studium, atque inertia factum est, ut artes esse plures viderentur. Nam ut primum lingua esse coepit in quaestu institutumque eloquentiae bonis male uti: curam morum, qui disertis habebantur, reliquerunt. Ea vero destituta infirmioribus ingeniis velut praedae fuit. Inde quidam, contempto bene dicendi labore, ad formandos animos statuendasque vitae leges regressi partem quidem potiore, si dividi posset, retinuerunt; nomen tamen sibi insolentissimum arrogaverunt, ut soli sapientiae studiosi vocarentur, quod neque summi imperatores neque in consiliis rerum maximarum ac totius administratione rei publicae clarissime versati sibi unquam vindicare sunt ausi. Facere enim optima quam promittere maluerunt. Ac veterum quidem sapientiae professorum multos et honesta praecepisse et, ut praeceperint, etiam vixisse, facile concesserim; nostris vero temporibus sub hoc nomine maxima in plerisque vitia latuerunt. Non enim virtute et studiis, ut haberentur philosophi, laborabant, sed vultum et tristitiam et dissentientem a ceteris habitum pessimis moribus praetendebant. Haec autem, quae velut propria philosophiae asseruntur, passim tractamus omnes. Quis enim non de iusto, aequo ac bono, modo non vir pessimus, loquitur? Quis non etiam rusticorum aliqua de causis naturalibus quaerit? Nam verborum proprietates ac differentia omnibus, qui sermonem curae habent, debet esse communis. Sed ea et sciet optime et eloquetur orator; qui si fuisset aliquando perfectus, non a philosophorum scholis virtutis praecepta peterentur. Nunc necesse est ad eos aliquando auctores recurrere, qui desertam, ut dixi, partem oratoriae artis, meliorem praesertim, occupaverunt, et velut nostrum reposcere; non ut nos illorum utamur inventis, sed ut illos alienis usos esse doceamus. Sit igitur orator vir talis, qualis vere sapiens appellari potest; nec moribus modo perfectus (nam id mea quidem opinione, quamquam sunt qui dissentiant, satis non est) sed etiam scientia et omni facultate dicendi. Qualis fortasse nemo adhuc fuerit, sed non ideo minus nobis ad summa tendendum est; quod fecerunt plerique veterum, qui, etsi nondum quemquam sapientem repertum putabant, praecepta tamen sapientiae tradiderunt. Nam est certe aliquid consummata eloquentia, neque ad eam pervenire natura humani ingenii prohibet. Quod si non contingat, altius tamen ibunt, qui ad summa nitentur, quam qui, praesumpta desperatione quo velint evadendi, protinus circa ima substiterint.

Lucius Annaeus Seneca (4 – 65 p. Chr.) – Epistulae Morales ad Lucilium

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM [ep. 1, 1]

Ita fac, mi Lucili: vindica te tibi, et tempus, quod adhuc aut auferebatur aut subripiabatur aut excidebat, collige et serva. Persuade tibi hoc sic esse, ut scribo: Quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt. Turpissima tamen est iactura quae per negligentiam fit. Et, si volueris attendere, magna pars vitae elabatur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota vita aliud agentibus. Quem mihi dabis qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem aestimet, qui intellegat se cotidie mori? In hoc enim fallimur, quod mortem prospicimus: magna pars eius iam praeterit; quidquid aetatis retro est, mors tenet. Fac ergo, mi Lucili, quod facere te scribis: omnes horas complectere. Sic fiet, ut minus ex crastino pendeas, si hodierno manum inieceris. Dum differtur, vita transcurrit. Omnia, Lucili, aliena sunt: tempus tantum nostrum est. In huius rei unius fugacis ac lubricae possessionem natura nos misit, ex qua expellit quicumque vult. Et tanta stultitia mortalium est, ut, quae minima et vilissima sunt, certe reparabilia, imputari sibi cum impetravere patiantur, nemo se iudicet quicquam debere, qui tempus accepit, cum interim hoc unum est, quod ne gratus quidem potest reddere.

Interrogabis fortasse, quid ego faciam, qui tibi ista praecipio. Fatebor ingenue: quod apud luxuriosum sed diligentem evenit: ratio mihi constat impensae. Non possum dicere nihil perdere, sed quid perdam et quare et quemadmodum dicam; causas paupertatis meae reddam. Sed evenit mihi, quod plerisque non suo vitio ad inopiam redactis: omnes ignoscunt, nemo succurrit. Quid ergo est? Non puto pauperem, cui quantulumcumque superset, sat est. Tu tamen malo serves tua, et bono tempore incipies. Nam, ut visum est maioribus nostris, »sera parsimonia in fundo est.« Non enim tantum minimum in imo sed pessimum remanet. Vale!

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM [ep. 1, 2]

Ex iis, quae mihi scribis, et ex iis, quae audio, bonam spem de te concipio: Non discurre, nec locorum mutationibus inquietaris. Aegri animi ista iactatio est: Primum argumentum compositae mentis existimo posse consistere et secum morari. Illud autem vide, ne ista lectio auctorum multorum et omnis generis voluminum habeat aliquid vagum et instabile. Certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui ubique est. Vitam in peregrinatione exigentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat necesse est iis, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim et properantes transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accredit, qui statim sumptus emittitur. Nihil aequae sanitatem impedit quam remediorum crebra mutation. Non venit vulnus ad cicatricem, in quo medicamenta temptantur. Non convalescit planta, quae saepe transfertur. Nihil tam utile est, ut in transitu prosit.

Distingit librorum multitudo. Itaque, cum legere non possis, quantum habueris, satis est habere, quantum legas. »Sed modo« inquis »hunc librum evolvere volo, modo illum.« Fastidientis stomachi est multa degustare. Quae, ubi varia sunt et diversa, inquinant non alunt. Probatos itaque semper lege, et, si quando ad alios deverti libuerit, ad priores redi. Aliquid cotidie adversus paupertatem, aliquid adversus mortem auxili compara, nec minus adversus ceteras pestes. Et cum multa percurreris, unum excerpe, quod illo die concoquas. Hoc ipse quoque facio: Ex pluribus, quae legi aliquid apprehendo. Hodiernum hoc est, quod apud Epicurum nactus sum (soleo enim et in aliena castra transire: non tamquam transfuga, sed tamquam exploratory): »Honestas« inquit »res est laeta paupertas.« Illa vero non est paupertas, si laeta est: Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. Quid enim refert quantum illi in arcā, quantum in horreis iaceat, quantum pascat aut feneret, si alieno imminet, si non acquisita sed acquirenda computat? Quis sit divitiarum modus quaeris? Primus, habere quod necesse est, Proximus, quod sat est. Vale!

SENECA LVCILIO SVO SALVTEM [ep. 84]

Itinera ista, quae segnitiam mihi excutiunt, et valetudini meae prodesse iudico et studiis. Quare valetudinem adiuvent, vides: Cum pigrum me et negligentem corporis litterarum amor faciat, alienā operā exerceor. Studio quare prosint, indicabo: A lectionibus non recessi. Sunt autem, ut existimo, necessariae: Primum, ne sim me uno contentus; deinde, ut, cum ab aliis quaesita cognovero, tum et de inventis iudicem et cogitem de inveniendis. Alit lectio ingenium et studio fatigatum, non sine studio tamen, reficit. Nec scribere tantum nec tantum legere debemus: Altera res contristabit vires et exhauriet (de stilo dico), altera solvet ac diluet. Invicem hoc et illo commeandum est, et alterum altero temperandum, ut, quidquid lectione collectum est, stilus redigat in corpus. Apes, ut aiunt, debemus imitari, quae vagantur et flores ad mel faciendum idoneos carpunt; deinde quidquid attulere disponunt, ac per favos digerunt et, ut Vergilius noster ait, »liquentia mella / stipant, et dulci distendunt nectare cellas.«

De illis non satis constat, utrum succum ex floribus ducant, qui protinus mel sit, an, quae collegerunt, in hunc saporem mixturā quādam et proprietate spiritūs sui mutant. Quibusdam enim placet non faciendi mellis scientiam esse illis sed colligendi. [...] Quidam existimant conditurā et dispositione in hanc qualitatem verti, quae ex tenerrimis virentium florentiumque decerpserint, non sine quodam, ut ita dicam, fermento, quo in unum diversa coalescunt.

Sed, ne ad aliud, quam de quo agitur, abducatur: Nos quoque has apes debemus imitari, et quaecumque ex diversā lectione congegimus, separare (melius enim distincta servantur); deinde, adhibitā ingenii nostri curā et facultate, in unum saporem varia illa libamenta confundere, ut etiam si apparuerit, unde sumptum sit, aliud tamen esse quam unde sumptum est appareat. Quod in corpore nostro videmus sine ullā operā nostrā facere naturam: Alimenta, quae accepimus, quamdiu in suā qualitate perdurant, et solida innatant stomacho, onera sunt; at cum ex eo, quod erant, mutata sunt, tunc demum in vires et in

sanguinem transeunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia, praestemus, ut, quaecumque hausimus, non patiamur integra esse, ne aliena sint. Concoquamus illa; alioqui in memoriam ibunt, non in ingenium. Adsentiamur illis fideliter et nostra faciamus, ut unum quiddam fiat ex multis, sicut unus numerus fit ex singulis cum minores summas et dissidentes computatio una comprehendit. Hoc faciat animus noster: Omnia, quibus est adiutus, abscondat, ipsum tantum ostendat quod effecit. Etiam si cuius in te comparebit similitudo, quem admiratio tibi altius fixerit, similem esse te volo quomodo filium, non quomodo imaginem: Imago res mortua est. »Quid ergo? non intelletur cuius imiteris orationem? cuius argumentationem? cuius sententias?« Puto aliquando ne intellegi quidem posse, si magni vir ingenii omnibus, quae ex quo voluit exemplari traxit formam suam inpressit, ut in unitatem illa conpetant. Non vides, quam multorum vocibus chorus constet? Unus tamen ex omnibus redditur. Aliqua illic acuta est, aliqua gravis, aliqua media. Accedunt viris feminae, interponuntur tibiae. Singulorum illic latent voces, omnium apparent. De choro dico quem veteres philosophi noverant: In commissionibus nostris plus cantorum est quam in theatris olim spectatorum fuit. Cum omnes vias ordo canentium implevit et cavea aeneatoribus cincta est, et ex pulpito omne tiliarum genus organorumque consonuit, fit concentus ex dissonis. Talem animum esse nostrum volo: Multae in illo artes, multa praecepta sint, multarum aetatum exempla, sed in unum conspirata.

»Quomodo« inquis »hoc effici poterit?« Adsidua intentione: Si nihil egerimus, nisi ratione suadente; nihil vitaverimus, nisi ratione suadente. Hanc si audire volueris, dicet tibi: »Relinque ista iamdudum, ad quae discurritur. Relinque divitias, aut periculum possidentium aut onus. Relinque corporis atque animi voluptates: molliunt et enervant. Relinque ambitum: tumida res est, vana, ventosa, nullum habet terminum, tam sollicita est, ne quem ante se videat quam ne secum; laborat invidiā et quidem duplici.« Vides autem quam miser sit, si is, cui invidetur, et invidet. Intuēris illas potentium domos, illa tumultuosa rixa salutantium limina? Multum habent contumeliarum ut intres, plus cum intraveris. Praeteri istos gradūs divitum et magno adgestu suspensa vestibula: Non in praerupto tantum istic stabis sed in lubrico. Huc potius te ad sapientiam derige, tranquillissimasque res eius et simul amplissimas pete. Quaecumque videntur eminere in rebus humanis, quamvis pusilla sint et comparatione humillimorum exstent, per difficiles tamen et arduos tramites adeuntur. Confragosa in fastigium dignitatis via est. At si conscendere hunc verticem libet, cui se fortuna summisit, omnia quidem sub te, quae pro excelsissimis habentur, aspicias, sed tamen venies ad summa per planum. Vale!

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM [ep. 8, 1-3]

»Tu me« inquis »vitare turbam iubes, secedere et conscientia esse contentum? Ubi illa praecepta vestra, quae imperant in actu mori?« Quid? ego tibi videor inertiam suadere? In hoc me recondidi et fores clusi, ut prodesse pluribus possem. Nullus mihi per otium dies

exit; partem noctium studiis vindico; non vaco somno sed succumbo, et oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detineo. Secessi non tantum ab hominibus sed a rebus, et in primis a meis rebus: posterorum negotium ago. Illis aliqua quae possint prodesse conscribo; salutare admonitiones, velut medicamentorum utilium compositiones, litteris mando, esse illas efficaces in meis ulceribus expertus, quae etiam si persanata non sunt, serpere desierunt. Rectum iter, quod sero cognovi et lassus errando, aliis monstro.

C. Sallustius Crispus (86- 35 a. Chr.) – Florilegium

Coniuratio Catilinae § 6-13

[6] Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidēre atque habuēre initio Troiani, qui Aeneā duce profugi sedibus incertis vagabantur, cumque iis Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Hi postquam in una moenia convenēre, dispari genere, dissimili linguā, alii alio more viventes, incredibile memoratu est, quam facile coaluerint: Ita brevi multitudo dispersa atque vaga concordia civitas facta erat.

Sed postquam res eorum civibus, moribus, agris aucta satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. [...] Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientiā validum erat, rei publicae consultabant. Hi vel aetate vel curae similitudine patres appellabantur. Post, ubi regium imperium, quod initio conservandae libertatis atque augendae rei publicae fuerat, in superbiam dominationemque se convortit, inmutato more, annua imperia binosque imperatores sibi fecere: eo modo minime posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.

[7] Sed eā tempestate coepere se quisque magis extollere magisque ingenium in promptu habere. Nam regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque iis aliena virtus formidulosa est. Sed civitas incredibile memoratu est adeptā libertate quantum brevi creverit; tanta cupido gloriae inceserat. Iam primum iuventus, simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usum militiae discebat, magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant. Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidulosus: Virtus omnia domuerat. Sed gloriae maxumum certamen inter ipsos erat: Se quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat. Eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant. Laudis avidi, pecuniae liberales erant, gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possum, quibus in locis maxumas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbīs naturā munitas pugnando ceperit, ni ea res longius nos ab incepto traheret. [...]

[9] Igitur domi militiaeque boni mores colebantur. Concordia maxuma, minuma avaritia erat. Ius bonumque apud eos non legibus magis quam naturā valebat. Iurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant; cives cum civibus de virtute certabant. In suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicos fideles erant. Duabus his artibus (audaciā in bello,

ubi pax evenerat, aequitate) seque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxuma documenta haec habeo, quod in bello saepius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant quique tardius revocati proelio excesserant, quam qui signa relinquere aut pulsi loco cedere ausi erant; in pace vero, quod beneficiis magis quam metu imperium agitabant, et accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant.

[10] Sed ubi labore atque iustitiā res publica crevit, reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago, aemula imperi Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant, saevire fortuna ac miscere omnia coepit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium divitiaeque optanda alias, oneri miseriaeque fuere. Igitur primo imperi, deinde pecuniae cupido crevit: ea quasi materies omnium malorum fuere. Namque avaritia fidem, probitatem ceterasque artīs bonas subvortit; pro his superbiam, crudelitatem, deos neglegere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalīs falsos fieri subegit, aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo aestumare, magisque voltum quam ingenium bonum habere. Haec primo paulatim crescere, interdum vindicari; post, ubi contagio quasi pestilentia invasit, civitas inmutata, imperium ex iustissimo atque optumo crudele intolerandumque factum.

[12] Postquam divitiae honori esse coepere et eas gloria, imperium, potentia sequebatur, hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci coepit. Igitur ex divitiis iuventutem luxuria atque avaritia cum superbiā invasere: rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere, pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi neque moderati habere. Operae pretium est, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum exaedificatas, visere templa deorum, quae nostri maiores, religiosissimi mortales, fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloriā decorabant, neque victis quicquam praeter iniuriae licentiam eripiebant. At hi contra, ignavissimi homines, per summum scelus omnia ea sociis adimere, quae fortissimi viri victores reliquerant: proinde quasi iniuriam facere id demum esset imperio uti.

[13] Nam quid ea memorem, quae nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt: a privatis compluribus subvorsos montis, maria constrata esse? Quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiae: quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant. Sed lubido stupri, ganeae ceterique cultūs non minor incesserat: viri muliebria pati, mulieres pudicitiam in propatulo habere; vescendi causā terra marique omnia exquirere; dormire prius, quam somni cupido esset; non famem aut sitim, neque frigus neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu antecapere. Haec iuventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant: Animus inbutus malis artibus haud facile lubidinibus carebat; eo profusius omnibus modis quaestui atque sumptui deditus erat.

Bellum Iugurthinum § 41

Ceterum mos partium et factionum ac deinde omnium malarum artium paucis ante annis Romae ortus est otio atque abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt. Nam ante Carthaginem deletam populus et senatus Romanus placide modesteque inter se rem publicam tractabant, neque gloriae neque dominationis certamen inter civis erat: Metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat. Sed ubi illa formido mentibus decessit, scilicet ea, quae res secundae amant, lascivia atque superbia incessere. Ita quod in adversis rebus optaverant otium, postquam adepti sunt, asperius acerbisque fuit.⁸ Namque coepere nobilitas dignitatem, populus libertatem in libidinem vertere, sibi quisque ducere, trahere, rapere. Ita omnia in duas partis abstracta sunt, res publica, quae media fuerat, dilacerata. Ceterum nobilitas factione magis pollebat, plebis vis soluta atque dispersa in multitudine minus poterat. Paucorum arbitrio belli domique agitabatur; penes eosdem aerarium provinciae, magistratus, gloriae triumphique erant. Populus militiam atque inopiam urgebatur. Praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant. Interea parentes aut parvi liberi militum, uti quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur. Ita cum potentiam avaritia sine modo modestiaeque invadere, polluere et vastare omnia, nihil pensi neque sancti habere, quoad semet ipsa praecipitavit. Nam ubi primum ex nobilitate reperti sunt, qui veram gloriam iniustae potentiae anteponerent, moveri civitas et dissensio civilis quasi permixtio terrae oriri coepit.

Titus Livius (59 a. Chr. – 17 p. Chr.) - *Ab Urbe Condita: Praefatio*

Facturusne operae pretium sim, si a primordio urbis res populi Romani perscripserim, nec satis scio, nec, si sciam, dicere ausim, quippe qui cum veterem tum vulgatam esse rem videam, dum novi semper scriptores aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt. Utcumque erit, iuvabit tamen rerum gestarum memoriae principis terrarum populi pro virili parte et ipsum consuluisse; et si in tantam scriptorum turbam mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum me, qui nomini officient meo, consoler. Res est praeterea et immensi operis, ut quae supra septingentesimum annum repetatur, et quae ab exiguis profecta initiis eo creverit, ut iam magnitudine laboret sua. Et legentium plerisque haud dubito, quin primae origines proximaque originibus minus praebitura voluptatis sint, festinantibus ad haec nova, quibus iam pridem praevalentis populi vires se ipsae conficiunt. Ego contra hoc quoque laboris praemium petam, ut me a conspectu malorum, quae nostra tot per annos vidit aetas, tantisper certe, dum prisca illa mente repeto, avertam, omnis expertae curae, quae scribentis animum, etsi non flectere a vero, sollicitum tamen efficere posset.

⁸ cf. Cat. 51: otium reges prius et beatas / perdidit urbes.

Quae ante conditam condendamve urbem poeticis magis decōra fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec adfirmare nec refellere in animo est. Datur haec venia antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat. Et si cui populo licere oportet consecrare origines suas et ad deos referre auctores, ea belli gloria est populo Romano, ut, cum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat, tam et hoc gentes humanae patiantur aequo animo quam imperium patiuntur. Sed haec et his similia utcumque animadversa aut existimata erunt haud in magno equidem ponam discrimine: Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quae vita, qui mores fuerint, per quos viros quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium sit; labente deinde paulatim disciplinā velut desidentes primo mores sequatur animo, deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire coeperint praecipites, donec ad haec tempora quibus nec vitia nostra nec remedia pati possumus perventum est.

Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in inlustri posita monumento intueri. Inde tibi tuaeque rei publicae quod imitere capias; inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites. Ceterum aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla unquam res publica nec maior nec sanctior nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tam serae avaritia luxuriaque immigraverint, nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniae honos fuerit. Adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat: Nuper divitiae avaritiam et abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexēre.

Sed querellae, ne tum quidem gratae futurae, cum forsitan necessariae erunt, ab initio certe tantae ordiendae rei absint: cum bonis potius ominibus votisque et precationibus deorum dearumque, si, ut poetis, nobis quoque mos esset, libentius inciperemus, ut orsis tantum operis successūs prosperos darent.

Quintus Horatius Flaccus (65-9 a. Chr.)– Carmen IV. 15

Phoebus volentem proelia me loqui
victas et urbes increpuit lyra,
ne parva Tyrrhenum per aequor
vela darem. Tua, Caesar, aetas

fruges et agris rettulit uberes
et signa nostro restituit Iovi
derepta Parthorum superbis
postibus et vacuum duellis

Ianum Quirini clausit et ordinem
rectum evaganti frena licentiae
iniecit emovitque culpas
et veteres revocavit artes,

per quas Latinum nomen et Italae
crevere vires famaue et imperi
porrecta maiestas ad ortus
solis ab Hesperio cubili.

Custode rerum Caesare non furor
civilis aut vis exiget otium,
non ira, quae procudit enses
et miseras inimicat urbes.

Non qui profundum Danuvium bibunt
edicta rumpent Iulia, non Getae,
non Seres infidique Persae,
non Tanain prope flumen orti.

Nosque et profestis lucibus et sacris
inter iocosi munera Liberi
cum prole matronisque nostris
rite deos prius adprecati,

virtute functos more patrum duces
Lydis remixto carmine tibiis
Troiamque et Anchisen et almae
progeniem Veneris canemus.

C. Plinius Secundus (61/2 - 112/3 p. Chr. n.) – Florilegium Epistularum

C. PLINIUS SEPTICIO SUO S. [ep. 1, 1]

Frequenter hortatus es, ut epistulas, si quas paulo accuratius scripsissem, colligerem publicaremque. Collegi non servato temporis ordine (neque enim historiam componebam), sed ut quaeque in manus venerat. Superest ut nec te consilii, nec me paeniteat obsequii. Ita enim fiet, ut eas, quae adhuc neglectae iacent, requiram et, si quas addidero, non supprimam. Vale.

C. PLINIUS POMPONIO BASSO SUO S. [ep. 4, 23]

Magnam cepi voluptatem, cum ex communibus amicis cognovi te, ut sapientia tua dignum est, et disponere otium et ferre, habitare amoenissime, et nunc terra nunc mari corpus agitare, multum disputare, multum audire multum lectitare, cumque plurimum scias, cotidie tamen aliquid addiscere. Ita senescere oportet virum, qui magistratus amplissimos gesserit, exercitus rexerit, totumque se rei publicae quam diu decebat obtulerit. Nam et prima vitae tempora et media patriae, extrema nobis impertire debemus, ut ipsae leges monent, quae maiorem annis otio reddunt. Quando mihi licebit, quando per aetatem honestum erit imitari istud pulcherrimae quietis exemplum? Quando secessus mei non desidiae nomen, sed tranquillitatis accipient? Vale.

C. PLINIUS MINICIO FUNDANO SUO S. [ep. 1, 9]

Mirum est quam singulis diebus in urbe ratio aut constet aut constare videatur, pluribus iunctisque non constet. Nam si quem interrogas 'Hodie quid egisti?', respondeat: 'Officio togae virilis interfui, sponsalia aut nuptias frequentavi, ille me ad signandum testamentum, ille in advocationem, ille in consilium rogavit.'

Hac, quo die feceris, necessaria, eadem, si cotidie fecisse te reputes, inania videntur, multo magis cum secesseris. Tunc enim subit recordatio: 'Quot dies quam frigidis rebus absumpsi!' Quod evenit mihi, postquam in Laurentino meo aut lego aliquid aut scribo aut etiam corpori vaco, cuius fulturis animus sustinetur. Nihil audio, quod audisse, nihil dico, quod dixisse paeniteat; nemo apud me quemquam sinistris sermonibus carpit, neminem ipse reprehendo, nisi tamen me cum parum commode scribo; nulla spe nullo timore sollicitor, nullis rumoribus inquietor: mecum tantum et cum libellis loquor. O rectam sinceramque vitam! O dulce otium honestumque ac paene omni negotio pulchrius! O mare, o litus, verum secretumque μυστήριον, quam multa invenitis, quam multa dictatis!

Proinde tu quoque strepitum istum inanemque discursum et multum ineptos labores, ut primum fuerit occasio, relinque teque studiis vel otio trade. Satius est enim, ut Atilius noster eruditissime simul et facetissime dixit, otiosum esse quam nihil agere. Vale.

C. PLINIUS CANINIO SUO S. [ep. 2, 8]

Studes an piscaris an venaris an simul omnia? Possunt enim omnia simul fieri ad Larium nostrum. Nam lacus pisces, feras silvae, quibus lacus cingitur, studia altissimus iste secessus affatim suggerunt. Sed sive omnia simul, sive aliquid facis, non possum dicere: 'invideo'; angor tamen non et mihi licere, qui sic concupisco, ut aegri vinum, balnea, fontes. Numquamne hos artissimos laqueos, si solvere negatur, abrumpam? Numquam, puto. Nam veteribus negotiis nova accrescunt, nec tamen priora peraguntur: tot nexibus, tot quasi catenis maius in dies occupationum agmen extenditur. Vale

C. PLINIUS ATTIO CLEMENTIO SUO S. [ep. 1, 10]

Si quando urbs nostra liberalibus studiis floruit, nunc maxime floret. Multa claraque exempla sunt; sufficeret unum, Euphrates philosophus.

Hunc ego in Syria, cum adolescentulus militarem, penitus et domi inspexi, amarique ab eo laboravi, etsi non erat laborandum. Est enim obvius et expositus, plenusque humanitate quam praecipit. [...]

Disputat subtiliter, graviter, ornate, frequenter etiam Platoniam illam sublimitatem et latitudinem effingit. Sermo est copiosus et varius, dulcis in primis, et qui repugnantes quoque ducat impellat. Ad hoc, proceritas corporis, decora facies, demissus capillus, ingens et cana barba: quae licet fortuita et inania putentur, illi tamen plurimum venerationis acquirunt. Nullus horror in vultu, nulla tristitia, multum severitatis; reverentis occursum, non reformides.

Vitae sanctitas summa, comitas par; insectatur vitia, non homines: nec castigat errantes sed emendat. Sequaris monentem attentus et pendens, et persuaderi tibi, etiam cum persuaserit, cupias. Iam vero liberi tres, duo mares, quos diligentissime instituit. [...]

Quamquam quid ego plura de viro, quo mihi frui non licet? An ut magis angar, quod non licet? Nam dstringor officio, ut maximo sic molestissimo: sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas, scribo plurimas, sed illitteratissimas litteras.

Soleo non numquam (nam id ipsum quando contingit!) de his occupationibus apud Euphratem queri. Ille me consolatur, affirmat etiam esse hanc philosophiae et quidem pulcherrimam partem: agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, promere et exercere iustitiam; quaeque ipsi doceant, in usu habere. Mihi tamen hoc unum non persuadet, satius esse ista facere, quam cum illo dies totos audiendo discendoque consumere.

Quo magis te, cui vacat, hortor, cum in urbem proxime veneris (venias autem ob hoc maturius!) illi te expoliendum limandumque permittas. Neque enim ego, ut multi, invideo aliis bono, quo ipse careo; sed contra sensum quendam voluptatemque percipio, si ea, quae mihi denegantur, amicis video superesse. Vale.

C. PLINIUS BAEBIO MACRO SUO S. [ep. 3, 5]

[...] Miraris quod tot volumina multaue in his tam scrupulosa homo occupatus absoluerit? Magis miraberis, si scieris illum aliquamdiu causas actitasse, decessisse anno sexto et quinquagesimo, medium tempus distentum impeditumque qua officiis maximis qua amicitia principum egisse. Sed erat acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia [...] Nihil enim legit quod non excerperet; dicere etiam solebat nullum esse librum tam malum ut non aliqua parte prodesset. [...]

Nonne videtur tibi recordanti, quantum legerit, quantum scripserit, nec in officiis ullis nec in amicitia principis fuisse; rursus cum audis quid studiis laboris impenderit, nec scripsisse satis nec legisse? Quid est enim quod non aut illae occupationes impedire aut haec instantia non possit efficere? Itaque soleo ridere, cum me quidam studiosum vocant, qui si comparer illi sum desidiosissimus. Ego autem tantum, quem partim publica, partim amicorum officia dstringunt? Quis ex istis, qui tota vita litteris assident, collatus illi non quasi somno et inertiae deditus erubescat?

Extendi epistulam, cum hoc solum quod requirebas scribere destinassem, quos libros reliquisset; confido tamen haec quoque tibi non minus grata quam ipsos libros futura, quae te non tantum ad legendos eos, verum etiam ad simile aliquid elaborandum possunt aemulationis stimulis excitare. Vale.

C. PLINIUS FABIO IUSTO SUO S. [ep. 1, 11]

Olim mihi nullas epistulas mittis. "Nihil est" inquis "quod scribam." At hoc ipsum scribe: "nihil esse quod scribas," vel solum illud unde incipere priores solebant: "Si vales, bene est; ego valeo." Hoc mihi sufficit: est enim maximum. Ludere me putas? serio peto. Fac sciam quid agas: quod sine sollicitudine summa nescire non possum. Vale.

C. PLINIUS ERUCIO SUO S. [ep. 1, 15]

Amabam Pompeium Saturninum (hunc dico nostrum) laudabamque eius ingenium, etiam antequam scirem, quam varium, quam flexibile, quam multiplex esset; nunc vero totum me tenet, habet, possidet. Audivi causas agentem acriter et ardentem, nec minus polite et ornatè, sive meditata sive subita proferret. Adsunt aptae crebraeque sententiae, gravis et decora constructio, sonantia verba et antiqua.

Omnia haec mire placent, cum impetu quodam et flumine pervehuntur, placent si retractentur. Senties quod ego, cum orationes eius in manus sumpseris, quas facile cuilibet veterum, quorum est aemulus, comparabis. Idem tamen in historia magis satisfaciet vel brevitate vel luce vel suavitate vel splendore etiam et sublimitate narrandi. Nam in contionibus eadem quae in orationibus vis est, pressior tantum et circumscriptior et adductior.

Praeterea facit versus, quales Catullus meus aut Calvus: re vera quales Catullus aut Calvus! Quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis amoris! Inserit sane, sed data opera, mollibus levibusque duriusculos quosdam; et hoc quasi Catullus aut Calvus.

Legit mihi nuper epistulas; uxoris esse dicebat. Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi. Quae sive uxoris sunt (ut affirmat), sive ipsius (ut negat), pari gloria dignus, qui aut illa componat, aut uxorem, quam virginem accepit, tam doctam politamque reddiderit. Est ergo mecum per diem totum; eundem antequam scribam, eundem cum scripsi, eundem etiam cum remittor, non tamquam eundem lego. Quod te quoque ut facias et hortor et moneo; neque enim debet operibus eius obesse quod vivit. An si inter eos quos numquam vidimus florisset, non solum libros eius verum etiam imagines conquireremus, eiusdem nunc honor praesentis et gratia quasi satietate languescit? At hoc pravum malignumque est, non admirari hominem admiratione dignissimum, quia videre, alloqui, audire, complecti, nec laudare tantum verum etiam amare contingit. Vale.

C. PLINIUS MATURO ARRIANO SUO S. [ep. 4, 8]

Gratularis mihi quod acceperim auguratum: iure, gratularis. Primum quod gravissimi principis iudicium in minoribus etiam rebus consequi pulchrum est, deinde quod sacerdotium ipsum, cum priscum et religiosum, tum hoc quoque sacrum plane et insigne est, quod non adimitur viventi. Nam alia quamquam dignitate propemodum paria ut tribuuntur sic auferuntur; in hoc fortunae hactenus licet ut dari possit. [...]

Te quidem, ut scribis, ob hoc maxime delectat auguratus meus, quod Marcus Tullius augur fuit. Laetaris enim, quod honoribus eius insistam, quem aemulari in studiis cupio. Sed utinam ut sacerdotium idem, ut consulatum multo etiam iuvenior quam ille sum consecutus, ita senex saltem ingenium eius aliqua ex parte assequi possim! Sed nimirum quae sunt in manu hominum et mihi et multis contigerunt; illud vero, ut adipisci arduum, sic etiam sperare nimium est, quod dari non nisi a dis potest. Vale.

C. PLINIUS CANINIO RUFO SUO S. [ep. 3, 7]

[...] Quod me recordantem fragilitatis humanae miseratio subit. Quid enim tam circumcisum, tam breve quam hominis vita longissima? An non videtur tibi Nero modo modo fuisse? cum interim ex iis, qui sub illo gesserant consulatum, nemo iam superest.

[...] Sed tanto magis hoc, quidquid est temporis futilis et caduci, si non datur factis (nam horum materia in aliena manu) certe studiis proferamus, et quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. Scio te stimulis non egere: me tamen tui caritas evocat, ut currentem quoque instigem, sicut tu soles me. Ἀγαθὴ δ' ἔρις cum invicem se mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt. Vale.

Ep. 4, 23: [...] Interim mille laboribus conteror, quorum mihi et solacium et exemplum est idem Spurrina; nam ille quoque, quoad honestum fuit, obiit officia, gessit magistratus, provincias rexit, multoque labore hoc otium meruit. Igitur eundem mihi cursum, eundem terminum statuo, idque iam nunc apud te subsigno ut, si me longius evehi videris, in ius voces ad hanc epistulam meam et quiescere iubeas, cum inertiae crimen effugero.



